Tres consonantes ubi concurrunt, syllabam novam orditur fere maxime pinguis, praecipue mutae *cpt*:

bs|c: *abs|cedimus* 80, 20/1; *abs|cedunt* 102, 21/2.

ls|c: *Vols|c-* 16, 14/5. 47, 5/6. 63, 7/8. 70, 3/4. 75, 29/30. 90, 12/3; al.

ns|c: *trans|cendere* 96, 29/30.

ns|p: *cons|pexisset* 99, 21/2; *cons|pirationem* 38, 5/6.

bs|t: *abs|territi* 100, 28/9; *obs|tare* 5, 35/6; *obs|tinato* 99, 43/4.

---

[1]) Ita 8, 23/4 *to|tuadibus*, 56, 5/6 *an|ienem*, 73, 22/3 *proxim|a*; contra 19, 41/2 *cui|us* ita explicari potest, ut pro trisyllabo vocabulum accipiamus (cf. *cumi* 91, 56 pro *cui*), quamquam *qu|od* similiaque ab hoc quidem libro aliena sunt (nam *qu|orum* 104, 31/2 incertum). Non numero syllabas male divisas propterea quod librarius verba non recte diremit, ut 32, 22/3 *suam|et*; 39, 58/9 *rogare|t is*; 53, 56/7 *dictator|iam*; 82, 57/8 *sit a|estate*; 94, 23/4 *creati s|ex*; 111, 42/3 *omisso s|ui*, nec magis quod scribitur 27, 18/9 *ab|esset* et 79, 13/4 *post|ea*, nam haec vocabula pro binis habere potuit, quamquam alibi talia coniunxit, ut 36, 52/3. 82, 59/60 legitur *si|cut*.

mp|t: *temp|tationem* 24, 36/7.

nc|t: *Quinc|tius* 48, 40/1; *cunc|ta* 76, 51/2.

ns|t: *ins|tare* 81, 52/3.

ns|tr: *ins|tructo* 120, 4/5; *ins|tructum* 6, 47/8; *mens|truo* 51, 18/9.

s|tr: *cas|tris* 15, 37/8. 64, 53/4. 88, 8/9. 106, 4/5; *magis|trat-* 9, 34/5. 39, 40/1. 72, 40/1; *nos|tr-* 42, 25/6. 80, 57/8. 92, 4/5; *pos|tremo* 51, 2/3. 88, 33/4; *plaus|trum* 99, 35/6; *ves|tr-* 43, 8/9; 92, 3/4 al.

Littera sua natura gemina *x* ad secundam syllabam trahi solet: *di|xit* 56, 23/4; *du|xit* 101, 17/8; *eni|xae* 64, 30/1; *e|xudetur* 81, 51/2; *ma|xim-* 8, 52/3. 63, 1/2. 93, 7/8; *pro|xum-* 59, 38/9. 87, 36/7; *ve|xationes* 49, 56; *u|xorem* 99, 33/4. Semel tantum repperi contrarium *ex|uti* 42, 46/7.

Denique notabilis est divisio *co|epta* 111, 27/8 et denuo ibidem 31/2, item *coe|ptum* 47, 18/9, qua confirmantur, quae ad Lucretii versum 4, 619 *siquis forte manu premere ac siccare coepit* docte et caute, ut solebat, adnotavit Lachmannus. Ceterum secunda divisio nihilo minus legem infringit, etsi trisyllabum statuas *co|ep|tum*.

Unum addam extra ordinem. Cum ad manum esset pandectarum Florentinorum quinque paginarum adumbratio photographica, eius codicis in syllabis dirimendis observantiam intellexi ab ea, de qua supra exposuimus, in plerisque recedere. Nam deprehendi ibi quidem *dis|cedere*, item *contes|tata*, *dis|tulerit*, *praes|titerit;* at refragantur alia, ut *quae|stio*, *re|stitui*, item *edi|cto* et *da|mnum* et *nu|ptiarum*, et *prone|ptis* quinquies similiter sic diremptum; denique ne de librarii incuria cogites, corrector vocabulum *ipse* (ed. meae vol. 2 p. 360 v. 5) a primo librario sic divisum *ip|se* ita emendavit, ut *p* litteram ad secundam syllabam revocaret faceretque *i|pse*. Quam differentiam dubium non est inde explicandam esse, quod digestorum codex Florentinus Veronensi annalium Livianorum aliquantum inferior est aetate. Nam contraria sibi sunt in hac quidem re aetatis bonae quae quidem auctoritatem habeant monumenta omnia conspirantia in divisione ea de qua dixi, et Prisciani reliquorumque grammaticorum praecepta, quae qui sequuntur hodie, in sexti saeculi doctrina innixi Latinam consuetudinem iam fere sustulerunt, peccantes scilicet in partem doctiorem. Similiter in novo testamento Fuldensi, quem librum Victor Capuanus emendavit a. 546 imperante Iustiniano, Lachmannus[1])

[1]) In praefatione ad novum test. vol. I p. XXVII.

observavit librarium vocabula in versuum confiniis ad morem antiquum divisisse, emendatorem autem grammaticorum scitis fraudem fieri non ferentem talia pleraque omnia sua manu reformavisse. Idem igitur factum est in libro digestorum exarato aut eodem saeculo aut sequente. At in Veronensi non Prisciani praecepta, sed antiqua consuetudo viget, quam quamquam tarde exolevisse is ipse de quo dixi Fuldensis liber significat, tamen si quis aliquando in codicum huius generis discrimina aetatesque data opera inquiret, ei syllabarum divisio non erit neglegenda.

Orthographia codicis.

Orthographica quae observavi hoc loco composui, quamquam taedet quaestiones huius generis mole sua iam laborantes a me quoque augeri. Sed pertinet ad codicis quem expressi proprietatem dignoscendam, ut etiam de talibus constet et fines aliquatenus regantur inter mera calami menda et leges sive certe usum scribendi. Quorum finium hodie quidam obliti sordes sordibus dum cumulant, disquisitionem sua natura exilem et ingratam etiam ineptam et fastidiendam reddiderunt. Ad id quod mihi proposui sufficient quae iam proferentur; nec tamen spondeo exemplorum ordines plenos proponi nec deerunt opinor, qui quae desiderantur cupide expleturi sint.

Accusativus pluralis numeri in *is* constanter fere reperitur in participiis similibusque, ut sunt *abnuentis* 119, 3; *agentis* 103, 33; *castigantis* 71, 48; *conferentis* 120, 50; *confluentis* 56, 47; *fatentis* 47, 50; *habentis* 105, 30; *ingentis* 71, 16; *palantis* 70, 36; *parentis* 77, 32; *patentis* 117, 6; *proficiscentis* 101, 12; *recipientis* 16, 1; *recurrentis* 70, 35; *repetentis* 80, 56; *sequentis* 65, 30; *spectantis* 81, 38; *tollentis* 31, 60; *trahentis* 120, 52; *vergentis* 96, 52. Formati in *es* quattuor tantum exempla adnotavi *fidentes* 35, 46; *fugientes* 116, 1; *sedentes* 100, 41; *vagantes* 103, 31. E contrario in nominativo qui respondet dominatur *es*, ut 3, 1. 41, 57. 66, 29. 91, 30. 99, 8. 100, 13; nec nisi semel repperi formatum in *is*, nempe *bellantis* 11, 33 indubio errore, ut erratum est item in *senioris* nominativo pluralis 40, 48. Similes sunt accusativi *consularis* 13, 16; *militaris* 106, 11. 109, 54 (at *militares* 30, 1); *popularis* 38, 52; *inmortalis* 60, 10. 106, 34 (at *annales* 66, 19); *talis* 120, 45; *civilis* 40, 21 (sed *Quinctiles* 114, 11; *Sextiles* 3, 21. 113, 59; *inexpugnabiles* 84, 13; *omnes* 16, 3); *tris* 69, 45 (accusativus *tres* est 45, 1. 55, 2. 69, 8; nominativus *tres* 29, 11. 76, 16; *tris* 71, 24); *pluris* 55, 2 (at *complures* 45, 51). Item accusativi *Antiatis* 71, 46; *Veientis* 109, 38; *penatis* 44, 42. 110, 49; contra eodem

casu legimus *Antiates* 16, 17. 119, 48; *Ardeates* 101, 31; *Fidenates* 80, 47; *optimates* 21, 54. 47, 1; *simultates* 44, 22, ut mittam nominativos similes 45, 31. 99, 2. 101, 37. 60. 120, 58. Accusativi sunt etiam *montis* 3, 44. 83, 6 (at *montes* 65, 10); *turris* 81, 40; *civis* 77, 27. 104, 11 (at eodem casu *cives* 33, 29); *Alpis* 96, 15 (at eodem casu *Alpes* 96, 33, ut *colles* 2, 15. 3, 40; *ignes* 85, 28; *nives* 83, 5; *secures* 31, 44; *vires* 4, 35. 35, 52). Denique variatur hoc casu inter *finis* 3, 27. 71, 58. 81, 21 et *fines* 70, 5. 76, 22. 118 53 et inter *hostis* 3, 29, 25, 38. 36, 30. 49, 12. 84, 30. 114, 47 et *hostes* 2, 28. 3, 40. 33, 30. 58, 40. 65, 1. 104, 11. 115, 43, cum *hostis* nominativo plurali 106, 38 originem traxerit ex corruptela, quam codices secundi ordinis evitaverunt. — Haec igitur recte conveniunt legibus sermonis aetate Augusta obtinentibus, de quibus nuper exposuit Corssenus *Aussprache des Latein.* ed. 2 vol. 1 p. 744, nimirum in vocabulis tertiae declinationis genetivo pluralis retinentibus vocalem *i* accusativum eiusdem numeri formari solere in *is*, sed ut *es*, quae forma postea sola obtinet, vel ea aetate non improbaretur.

Ablativus singularis tertiae sequitur fere accusativum pluralis, ut ubi hic retineat *is*, in illo esse soleat vel certe esse possit *i*. Adnotavi ex eo genere adiectivae formae *insequenti* 58, 56. 75, 8. 97, 25. 103, 58 (*insequente* 50, 4, ut *sequente* 20, 53 et *persequente* 107, 40); *ingenti* 26, 33. 35, 37. 37, 24. 60, 28. 62, 50. 64, 33. 76, 43. 93, 49. 102, 60; *atroci* 7, 19; *ancipiti* 100, 4; *Fidenati* 87, 40; *Veienti* 93, 33. 103, 15 (sed *Veiente* 82, 36. 115, 7. Item formae substantivae *civi* 95, 50; *classi* 66, 16; *sorti* 38, 28. 89, 58, ut mittam *siti* 84, 14; at semper *parte* legitur et *hoste*. Comparativorum ablativum *e* requirere et notum est et confirmat hic quoque liber 86, 57. 88, 6. 105, 53. 114, 5 al.; nam *altiori* 76, 41 mendosum est.

Nominativum singularem tertiae notabo unum *aedis* 61, 18 et *aedes* 93, 34.

Mensum genetivus est 16, 52; praeterea ex eo genere non repperi notabiliora.

In declinandis vocabulis *i* geminata secundum recentiorum consuetudinem praevalet, quamquam vetustior orthographia per unum *i* quibusdam locis remansit. Ita reperiuntur genetivi singularis *excidi* 59, 21; *offici* 11, 51; *suffragi* 69, 6; nominativi pluralis *ali* 39, 13; *Fabi* 114, 2; *fili* 17, 27; *patrici* 61, 39; *plebei* 62, 15; ablativi pluralis *alis* 107, 9; *dis* 100, 48. 119, 11; *is* 21, 46. 41, 26. 46, 14. 48, 60. 59, 23; *isdem* 32, 39. 43, 47.

60, 22; *iurgis* 30, 42; *nimis* 93, 57; *plebeis* 71, 36. 74, 6. 77, 44; *quaestoris* 69, 14 servatum ideo, quod librarius pro genetivo habuit (cf. 69, 48); *Veis* 80, 22. 104, 41. 118, 18, item 79, 10. 109, 6, ubi *a Beis* librario visum est significare *ab eis*. Eiusdem generis sunt perfecta *perit* 11, 26; *petit* 76, 23, item *abissent* 30, 54, *adissent* 116, 24, *desisse* 71, 60, *exisse* 70, 5 et *exissent* 3, 13. Diversum est, quod in genetivo singularis nominum propriorum constanter remansit forma contracta, nempe in *Anti* 14, 32; *Appi* 27, 47; *Servili* 57, 2; *Tolumni* 55, 23; *Valeri* 9, 20; *Vergini* 28, 22; *Volsci* 19, 10; *Volusci* 16, 17. Ipsum Livium exemplaque eius vetustiora multo saepius retinuisse *i* simplicem neque uno loco geminationem intulisse librarium cum ex supra allatis exemplis *quaestoris*, *ab eis*, *nimis* colligitur, quae intacta remanserunt propterea quod non intellegerentur, tum ex solutionibus eius generis perperam factis, quo pertinent vocativi *Cornelii* 120, 22 et *Valerii* 119, 59, genetivus *publicii* 120, 24, ablativus *Herniciis* 64, 29, denique *Palatii* 104, 49 pro participio quod est *palati* et *hiis* 49, 37 pro *is*. Nihilominus cum satis constet aetate Augusta in his vocalem plerumque duplicatam esse, sed ut exciperentur nomina propria (id quod nuper docui in Hermae vol. 1 p. 461) nec credendum sit exceptionem hanc mature oblitteratam, quippe quam constet et in titulis plebeium sermonem referentibus saepissime neglegi et ignorari a grammatistis Latinis iis quos habemus omnibus, codicis huius librarium ex sua ipsius doctrina tam diligenter observasse, hoc documentum est codicis Veronensis orthographiam in universum accurate referre pristinam Livianam.

ei antiquum plane abest a Veronensi libro. Neque enim ad eam orthographiam pertinet dativus singularis *plebei*, quae forma cum etiam ex aliis libris Livio vindicata sit (v. Schneider gramm. Lat. 2, 359), iam in Veronensi quoque legitur 39, 40. 86, 33 ut eodem casu *plebe* 22, 1, cum *plebi* occurrat 69, 50. 70, 12. 93, 15. Genetivi similis nullum exemplum repperi (cf. tamen infra ad V, 24, 8), cum *plebis* passim legatur. Plane similiter Ancyrana inscriptio genetivum format in *plebis*, dativum in *plebei* (v. ed. meae p. 147) nec dubium est ita loqui usitavisse saeculi Augusti homines. Non magis ad vetustam diphthongum pertinet dativus ablativusve *eis* 78, 44. 79, 34. 91, 28. 106, 57. 111, 10 non rarus, licet frequentius scribatur *iis* vel *is*.

Geminata *u* constanter reperitur secundum usum ab Augusto inde receptum nullaque vestigia deprehendi neque antiquae loquelae ab eiusmodi

geminatione abhorrentis (nam *novom* 109, 17 mendum est) neque barbarismorum talium, quale est *volgo* in digestis Florentinis obvium (cf. *vulgus* 113, 51 al.). Nam *Volscus* quod constanter fere scribitur, item *Volsiniensis* 93, 53. 59. 94, 37. 58. 60 et *Voltumna* 59, 28. 61, 50, non adversatur, cum et nomina propria ab orthographiae lege communi quodammodo exempta esse soleant et ne hoc quidem certum sit secundam litteram in his vocalis *u* sonum habuisse. Quamquam quod reperitur *Vulscum* 32, 40. 43, 40, *Vultumna* 114, 33, ostendit librarium etiam in talibus aliquatenus deflexisse ab antiqua scriptura, ut similiter 118, 45 pro *Corvus* male dedit *Curvus*, 88, 4 *monimentis* pro *munimentis* (cf. 115, 29). — In genetivis pluralis quartae et contracto secundae pro *uu* non raro scribitur *u* simplex, ut *magistratum* 42, 57. 72, 40. 43 (at *magistratuum* 46, 20. 94, 28); *passum* 12, 45 (at *passuum* 47, 13); *dumviri* 61, 20 (at *duumviros* 106, 42). Idem cum passim redeat alibi et inter alia in optimae aetatis carminibus (v. Schneider gramm. Lat. 2, 334) et in ipso monumento Ancyrano (v. ed. meae p. 146), utramque formam statuendum erit simul obtinuisse.

Litterae *u* in superlativis alibique ibi positae, ubi postea obtinuit *i*, vestigia repperi non multa, sed tamen aliqua, sunt autem haec: *decumam* 89, 12; *proxumo* 59, 39; *finitumus* 50, 27. 51, 7. 55, 51 (quo loco ante *u* litteram deleta est *i*). 83, 49, cum *finitimus* sit 46, 32. 66, 51. 75, 37. 79, 6. 98, 55. 101, 6. 119, 55. Item *lubet* 84, 58, quamquam *libet* similiave leguntur 30, 11. 45. 73, 12. 79, 16; *recuperare* 105, 29. 108, 19. 114, 52, cum *reciperatum* habeamus 9, 7. 10, 17. 26. 108, 11. Etiam *lacrimae* est 86, 34.

De consonantibus geminandis vel non geminandis missis vulgaribus et hodie satis notis, ut *Iuppiter* 11, 8. 33, 42. 106, 51; *mercennario* 80, 10; *Appenninus* 96, 33. 57 similibusque, haec tantum adnotabo: *occassionem* 63, 48 (at *occasio* 74, 42); *post tridie* 114, 10. 16. 19 ter repetitum ortum fortasse ex etymologia perversa; *operiri* 82, 59 non tegendi sensu, sed expectandi; *cotidie* 30, 41 (at *cottidie* 6, 57); *abscisa* 47, 60; *comisantium* 19, 3; denique *Aliam* fluvium scribi 97, 10. 27. 105, 56. 110, 45, quamquam *Alliensis* est 114, 5, quae vera scriptura est (cf. C. I. L. I p. 397) illis locis obscurata opinor eo quod inscitus librarius male ibi cogitavit de adiectivo. *Retulere* 26, 26. 66, 19 item erratum est; certe *rettulit* est 33, 7. 44, 19. 56, 9. 106, 36. *Causa, paulo* semper habent consonantem non geminatam.

cu pro *quu* non rarum est. Exempla adnotavi haec: *aecum* 28, 4. 72, 56. 80, 4 (*aequum* est 80, 13); *inicum* 28, 8; *relicum* 13, 22 (at *reliquum* 84, 59, ut *longinquum* 82, 44); *relincunt* 36, 51; *secuntur* 19, 39. Simile est *cottidie* 6, 57 et *cotidie* 30, 41 (at *quotannis* 77, 46). Quod aliquoties invenitur *nec quicquam* 51, 9. 10. 61, 60 pro *nequiquam* videtur pendere ex vocabulorum confusione potius quam ex orthographiae diversitate; vera scriptura obvia est, ut 59, 55. 61, 54. 70, 39. 71, 10. 72, 24 cet.

Adsimilatio litterarum in praepositionibus, quae coaluerunt cum verbis, quatenus perveniat, breviter indicabo. *Ad* adsimilatum repperi ante *c* fere constanter (*accedere; accendere; accidere; accipere; accire* 38, 46. 88, 41. 95, 31; at *adcommodare* 12, 27); ante *l* (*allati* 25, 20); ante *p* saepe (*apparare* passim, semel *atparatum* 66, 50; *apparere* passim, semel *adparebat* 6, 11; *appellare* semper; at *adpetere* 66, 31. 102, 25; *adprobare* 19, 6. 53, 23. 111, 24; *adpropinquare* 21, 18. 97, 19); ante *r* (*arripi* 7, 49); ante *s* raro (*aspicere* 68, 40; *aspirare* 67, 13; at passim *adsciscere; adsentiri; adserere; adservare; adsiduus* 61, 1. 70, 19. 107, 34. 113, 15; *adsignare; adsolere; adstitisse; adsuefacere; adsurgere*); numquam ante *f* (*adfectus; adferre; adfirmare; adfuturus*) *g* (*adgredi*) *t* (*adtinere* 35, 20. 119, 48; *adtonitus* 104, 36). — *Con* assimilatum repperi ante *l* semel (*collatum* 107, 11, cum *conlatus* sit 58, 13. 97, 38. 107, 22, *conlaudatus* 39, 5. 119, 27); ante *m* omnibus locis (*commercium; committere; communis* et *communicare; communire*) exceptis duobus (*committere* 54, 56; *conmuni* 102, 8); ante *r* (*corrumpere* 85, 3. 96, 8); *com* factum ex *con* ante *p* bis (*composito* 37, 7; *compressi* 103, 45), cum obvia sint *conpertus*, *conplexus*, *conpositus*, *conprimere*, *conpulsus*. — *In* mutatum in *im* in universum rarum est (*inbellis; inbutus; inlatus; inlibatus; inlicere; inligatus; inmensus; inmeritus* 53, 7. 77, 14; *inminere; inminuere; inmiscere; inmissus; inmitis; inmortalis* 53, 37; *inpedire* 19, 12. 22, 35. 69, 60. 70, 42; *inpendere* et *inpensa; inpertiri; inpetrare;* 89, 40; *inpetus* 84, 5. 103, 44; *inpiger; inplere* 37, 47. 43, 46. 84, 29; *inplicitus; inplorare; inponere; inpressio; inprobare; inprovidus; inprovisus; inpugnare* 21, 41; *inpune; inritare; inritus*) nec repperi *im* nisi paucis locis ante *m* (*immeritus* 53, 34; *immortalis* 106, 35. 49), paullo pluribus ante *p* (*impedimentum* 51, 44; *impetratus* 74, 37; *impetus* 36, 32. 97, 7. 115, 52. 116, 12; *implere* 2, 59; *importunus* 77, 2; *impugnare* 78, 33; *impulisse* 71, 42), sed ut *imperium* cum derivatis ita praevaleat, ut *inperium* non legatur

nisi tribus locis 17, 36. 60, 15. 92, 25. — *Ob* mutatur tantummodo ubi sequuntur *c* (*occipere* 70, 10. 94, 31; *occupare; occurrere*) *f* (*offendere*) *p* (*opperiri; opponere; opportunus; opprimere; oppugnare*), in his autem constanter. — *Per* cum non facile mutetur, tamen *pellatis* est 30, 57; sed *perlatus* 11, 20. 21, 5; *perlicere* 27, 6. — *Sub* item in sua forma manet (*submittere; submovere; subpositus* 27, 55). — Ceterum in minutiis his nec nusquam me in describendo excerpendove peccasse spondeo et patet librarium suo sive arbitrio sive licentiae aliquid dedisse, cum etiam talia reperiantur qualia sunt *im plebem* 78, 14; *Conlina porta* 57, 42 (cf. 30, 27. 58, 2); *in Adventino* 109, 6; *de immovisse* pro *dei movisse* 111, 1. Nihilo minus haud scio an quae satis certo deprehenduntur scribendi leges aut ipsius Livii fuerint aut certe aetatis Livianae.

In compositis cum praepositione *ex*, cum simplex incipiat ab *s* littera, ea plerumque absorbetur scribiturque *excendere* 107, 40; *exequi* 7, 41. 59, 50. 98, 60; *exul* et *exilium* passim; *expectare* passim; *extitisse* 6, 28. 7, 27; *exudare* 52, 6; *exultare* 41, 48; *exutus* 25, 13. Inveniuntur tamen *exsolvere* 12, 15. 53, 18. 89, 26 et *exsurgere* 118, 30, ut alibi 51, 33 pro *ex equestri* male scriptum est *ex sequestri*.

Litteras *d t* et *b p* in vocabulis extremis sic fere repperi in codice adhibitas. *At* et *atque* particulae utuntur fere littera *d*, illa 33, 37. 43, 56. 44, 27, haec 7, 10. 11, 10. 29. 14, 30. 17, 28. 19, 56. 24, 1. 33, 2. 45, 21. 46, 57. 56, 37. 57, 41. 62, 53. 66, 20. 67, 24. 75, 49. 76, 55. 98, 23. 119, 47. 120, 10. 48; *at* non repperi nisi 84, 29, *atque* non nisi 79, 1. 7. 88, 37. 96, 50. 98, 13. 101, 30. Item in compositis *at* non observavi nisi semel in *atparatum* 66, 50. Similiter *quod* et *aliquod* etiam iis locis, ubi ad numerum pertinent, sic scribuntur, illud 8, 21. 80, 32. 33. 96, 58, hoc 3, 12. 7, 26. 26, 1; *quot* per se semel tantum enotavi 108, 44. (cf. *quotannis* 77, 46). Semper in codice est *aliud*, plerumque *illud* et *id*, quamquam legi *illut* 63, 30. 78, 39, *it* 20, 14. Perpetuum item est *sed*, nisi quod *set* est 95, 23 et fortasse 59, 14, et *haud*, quod repperi vicies, *haut* non nisi ter 7, 46. 46, 39. 51, 4, ut mittam corruptum in *aut* 48, 40. 50, 54. 103, 34. Contra librarius constare fere sibi videtur in *aput* 16, 17. 22. 46, 8. 63, 2. 79, 17. 84, 34. 41. 91, 42. 102, 4. 114, 47, cum *apud* sit 84, 30. 85, 2. 17, item in *aut* et *met* enclitico (32, 22/3. 42, 41) et *velut* 100, 48. Haec pleraque sunt ex mediis, ut neutram scripturam plane reicias; bar-

barismum, quo *d* infertur in tertiam singularis verbi, non deprehendi nisi in *inquid* 11, 28. 13, 36. 35, 13. 54, 39, cum recte scribatur *inquit* 54, 4. 60, 30. 119, 59. Quae forma sola corruptelam passa est inter tot similes sine dubio propter confusionem τοῦ ἔφη cum eo quod est *in quid.* — Quod attinet ad *b* et *p* elementa, invenimus *scribti* 3, 32; *scribtores* 16, 23; *conscribtum* 115, 4; item *dilabsi* 98, 54. 100, 20 (at *dilapsis* 70, 30); item *pleps* 45, 54. 57. 69, 44, cum *plebs* obvium sit; item *optinere* 50, 18. 74, 13. 77, 22 et *opstitisse* 2, 21, cum praeterea in compositis sit *ob*; nam *opprimere* similiaque diversa sunt, nempe mutata ob adsimilationem.

Quae subieci per saturam collegi nullo ordine:

maiius 66, 28, nisi hoc mendum est.

ab codex Veronensis passim Livio reddit, ubi ex reliquis libris editur *a*: ita 46, 32. 47, 24. 53, 32. 57, 4. 48. 59, 10. 71, 28. 115, 21. 119, 34. Contrarium est 55, 52.

dilectus semper est in codice neque umquam aliter scripserunt antiqui, scilicet non ignorantes, quod hodie multi ignorant, in dilectu non tam agi de seligendis fortissimis quibusque ex populo universo quam de distribuendis civibus idoneis in legiones quaternas vel binas. E contrario *dirigere* quod hodie obtinet obtinuitque iam labentis rei publicae Romanae temporibus, et veriloquium barbarismi convincit et tituli, qui quidem bonae aetatis sint, consentientes in forma quae est *derigere.*

Exquiliae quod legitur 43, 37. 50, sine dubio grammaticus in Livium intulit propter veriloquium sive verum sive falsum, certe receptum; nam inscriptiones cum in ipsa tribus nota *s* solum admittant, de vera scriptura dubitare non sinunt, quam his quoque locis libri Nicomachiani servarunt tertioque 41, 52 ipse Veronensis.

nec|lecta similiaque ea divisione quam indicavi non minus saepe repperi 50, 52. 87, 11. 102, 58. 107, 3 quam *ne|glegens* 104, 40. similiaque 58, 30. 108, 32. 59. 109, 49.

tranant 65, 27 et *travolat* 36, 27; at *transferre*, *translatus*, *transmigrare*, *transvectus*, *transversus.*

terros 20, 3 (*terror* est 62, 60) videndum num aliis exemplis confirmetur.

augeres 12, 32 (at *augures* 2, 45. 45, 11). Cf. Priscianus 1, 35 p. 27 Hertz: 'antiqui *auger* et *augeratus* pro *augur* et *auguratus* dicebant.' Ceterum vide ne casui illud tribuendum sit vel etiam grammaticus Livium se ipso vetustiorem reddiderit, ut nunc facere solent nostrates; tituli certe augerem ignorant.

rediebant 100, 32 cum retineant libri omnes, examine dignum est, num forte alibi quoque reperiatur (cf. *exiebat* Henzen inscr. 6444).

duoviris 57, 17; at *duumviros* 106, 42, *dumviri* 61, 20.

promiscue similiaque 61, 26. 69, 16. 54. 72, 37. 111, 26, non *promisce*, quam formam boni testes vereor ne reiciant omnes.

urguerent est 65, 8, *urgemus* 80, 19.

vincla legitur 31, 4. 32, 18. 64, 10, *vincula* 8, 8. 63, 57.

Quinctius nomen recte scribitur plerisque locis, non ita multis *Quintius* 6, 19. 17, 2. 24. 42, 11. 46, 10. 56, 28, semel *Quincius* 12, 17. Cum illo licebit componere *autior* pro *auctior* 44, 18 et 14, 8 *aut iam* pro *auctam*. *Quintus* similiaque *c* illud non admittunt.

sescentis 36, 4, quod unice verum est et est etiam in monumento Ancyrano. Ceterum *s* pro *x* codex non admittit; nam *ausere* 8, 54 solitarium est.

pernici(a)e 61, 27, quam solam scripturam idonei testes testantur.

Ex soloecismis qui in hoc codice deprehenduntur nullus tam late patet quam *e* vocalis et *ae* diphthongi permutatio ita comparata, ut quamvis *e* pro *ae* passim reperiatur, tamen in contrarium etiam frequentius peccetur. In extremo vocabulo *ae* reperitur in *que* passim[1]), item in adverbiis *dubiae* 16, 42. 59, 12. 106, 19; *aegregiae* 19, 21. 26, 8. 63, 41; *enixae* 64, 31; *ferae* 1, 30; *inpigrae* 18, 15; *longae* 17, 50; *maturae* 35, 25; *piae* 32, 37; *promiscuae* 61, 26; *publicae* 17, 24. 55, 48. 111, 28. 32; *utrimquae* 63, 4. 64, 60; in ablativis *aciae* 44, 32. 100, 4; *pacae* 3, 5. 106, 18; *perniciae* 61, 27; *posttridiae* 114, 10; *rabiae* 41, 41; in imperativis *statuae* 111, 17; *exspectatae* 6, 2; in tertia pluralis perfecti semel *fuerae* 56, 53; in

Soloecismi codicis.

---

[1]) 2, 6. 16. 18. 50. 3, 57. 6, 49. 7, 18. 11, 18. 14, 14. 17, 9. 19, 46. 26, 55. 57. 27, 58. 28, 42. 29, 45. 32, 3. 37. 54. 33, 4. 36, 41. 38, 38. 57. 39, 1. 45, 33. 38. 46, 48. 47, 15. 19. 48, 55. 50, 1. 23. 51, 20. 53, 48. 54, 6. 18. 61, 23. 63, 23. 64, 3. 72, 45. 77, 36. 85, 29. 51. 98, 28. 102, 59. 111, 30. 116, 46. 118, 14. 120, 54.

infinitivo item semel *dicerae* 84, 40. Nec *sae* pro *se* repperi nisi in corrupto *saepe ne* 52, 47 effecto ex *se paene.* Inverso errore reperiuntur *que* 25, 17. 35, 55. 53, 2. 57, 7. 62, 47. 67, 15. 97, 26. 103, 7. 105, 41. 107, 1. 119, 44; item *acte* 9, 12; *aliaene* 22, 60; *college* 119, 16; *date* 95, 6; *Fidene* 55, 14. 61, 57; *he* 107, 43; *Monete* 46, 30; *periculose* 33, 36; *praede* 65, 49; *publice* 70, 44; *Romane* 17, 50; *sue* 36, 31; *Voltumne* 61, 50. In primis vocabulorum syllabis similiter erratum est priore erroris genere in his: *aeburnis* 99, 54; *aedita* 113, 50; *aegregius* cum derivatis 6, 43. 47. 19, 21. 26, 8. 63, 41; *aegerunt* 16, 48; *aegressus* 102, 55. 111, 22; *aelati* 34, 15; *aeques, aequus* cum der. 33, 59. 36, 16. 26. 46, 50. 53, 44. 57, 58. 64, 36. 65, 12. 14. 85, 52. 86, 12. 48. 50. 51. 92, 31; *Aetruria* 59, 30. 61, 31. 80, 53. 82, 6. 25. 35. 84, 36. 114, 29. 115, 7. 12. 120, 7; *aevertere* 110, 54; *laevandae* 45, 34; *praeces* cum der. 7, 16. 48, 6. 53, 36. 57, 39. 62, 27. 74, 48. 93, 4. 5. 95, 41; *praemebat* 7, 22; *praetium* 27, 6. 89, 29. 117, 59; *quaeri* 7, 19. 30, 55. 45, 19. 61, 56. 62, 6; *Raegillum* 114, 40; *saecum* 16, 58; *spraetos* 62, 7, quibus adde *aliaenus* 22, 60. 81, 16. In contrarium peccatum est in his: *Ebutius* 49, 5. 47. 57, 59, *Equi* 66, 41. 71, 15; *cedere* 48, 5. 111, 29; *herere* 44, 45. 77, 23; *Melius* 51, 32; *Nevius* 66, 55; *pene* 48, 56. 52, 47. 91, 40; *penitere* 42, 42. 75, 35. 92, 19; *predam* 41, 56; *prestitutum* 14, 51; *sepire* 81, 6. 115, 28; *tedium* 74, 8. 84, 32. Singularia sunt *sociaetas* 91, 6 et *venissaet* 6, 53.

Oe diphthongus ubivis recte ponitur (*oboedire* quoque legitur 64, 31. 78, 53) uno loco excepto *praelii* 33, 26, cum idem vocabulum recte scriptum passim inveniatur.

In aspiratione ponenda omittendave perpaucae mendae deprehenduntur, ut *abita* 20, 24 (cf. *abieri* = haberi 44, 59); *proibitus* 104, 33; *Tyrrenum* 96, 50; *Oratio* 32, 44; *his* 20, 8 et *hiis* 72, 33 pro *iis,* item 49, 37 pro *is; cohorta* lectionis dubiae 60, 59; denique *aut* pro *haud* 48, 40. 50, 54. 103, 34 (cf. *audiuie* = haud dubie 70, 52), *haud* pro *aut* 78, 19. Apparet librarium qui haec scripsit regulas de littera ea perdidicisse et magis erravisse vocabulis similibus male permutatis quam in ipsa orthographia.

In litteris affinibus *b* et *v* simile quid observamus. Meri errores in ponendis iis rari sunt, ut *b* pro *v* reperitur in *faborem* 74, 24; *interbentum* 55, 32; *Lanubio* 64, 52; *nobos* 38, 18; item constanter fere in *Bibulanus* 14, 18. 22, 55. 49, 2. 56, 30. 74, 19 (*Vibulanus* est 61, 14); similiter

v pro *b* in *acerua* 51, 24; *adprouantibus* 53, 23; *Volas* 116, 9; *Gavina* 1, 23; *iuvendi* 89, 19. Contra non ita raro sic erratur in verbis ambiguis, ut in *nobis* 31, 25. 41, 19. 110, 53; *viduo* 37, 8; *bis* 71, 43; *ab eis* (= a Veiis) 78, 10. 109 6; denique corruptelae quaedam inde explicantur, ut *uerior* 90, 27 pro *uberior*, *audivie* 70, 52 pro *haud dubie*. Omnino codex, a quo pendebat librarius, eius generis errores longe plures habuit et emendationem grammatici talem, qualem prae se ferunt digesta Florentina, etiam Liviani libri subierunt.

Littera *m* quamquam non permutatur cum *n* (nam *triunphus* 37, 28. 38, cum passim legatur *triumphus*, et *tanquam* 54, 58 solitaria sunt; cf. 69, 56, ubi ex *tamdem* factum *tandem*), tamen saepe male omittitur, saepius etiam male additur, ut antequam hic liber scriberetur obmutuisse fere eam appareat librariumque in ea ponenda grammaticorum leges magis secutum esse quam aurium iudicium. Exempla litterae eius male additae haec sunto: *haudquamquam* 2, 32; *supersederim* 114, 17 pro *supersederi; cumi* 91, 56 pro *cui; cum eius* 6, 36 pro *cuius; Herculems* 80, 24 pro *Hercules; tesseramrum* 55, 25 pro *tesserarum; postumlant* 28, 10 pro *postulant; sumperbia* 6, 1 pro *superbia*.

Littera *n* similiter modo demitur modo additur propter vitium pronuntiandi. Ea labes maxime grassata est in coniugationis formis, ut *creasset* et *creassent*, *malet* et *mallent* et eius generis alia passim permutentur; sed alibi quoque similia reperiuntur, ut *fungitis* pro *fugitis* 44, 49; *interando* pro *iterando* 7, 7; *non uere* pro *nouere* 42, 49. In numeralibus solita est inconstantia: *miliens* 80, 46, cum in corruptela 107, 50 lateat *milies; vicensimus* 80, 34, at *tricesimo* 20, 24, *quadringentesimum* 102, 18. *Semenstris* legitur 80, 5.

Denique monendum est, ut appareant in libro Veronensi labentis sermonis neque incerta nec pauca vestigia, ita plane abesse ab eo barbarismos meros. Nullo loco vel fere nullo reperies litteras *x* et *s*, diphthongos *oe* et *ae* inter se permutari, nusquam vocalem additam anto *sp* et similia, nusquam pro Graeco *ph* substitutum Latinum *f*, nusquam *p* neque male neglectam inter *ms* et *mt* litteras (ut in *contempsi sumpsit, emptus temptare*) neque male intrusam inter litteras *mn* (ut in *damnare*, *contemnere*), ne dicam nusquam commutatas litteras *c* et *t*, quod qui ante septimum saeculum obtinuisse sibi persuadent, ne ii vehementer errant. Neque puto ullum librum

Livianum superesse hoc nomine Veronensi parem praeter paucas pagellas ex libro XCI superstites et in aliis omnibus et in orthographia vel pares Veronensi vel superiores; nam tam in Vindobonensi quam in Puteano talia, qualia sunt *milex*, *suplicatio*, *suplementum*, *sumsit*, *adhorti*, *Anthiocus*, *Epydicus*, sescentis locis offendes[1]). Quapropter haud scio an qui Livium deinceps recognoscent, si qui erunt, qui neque eiusmodi minutias superbe contemnant neque orthographia saeculi Livium adornare cupiant, in talibus Veronensis libri auctoritatem vel maxime secuturi sint. Sed de his videant quorum interest; nobis codicis sufficiet scribendi proprietates exposuisse. Quas qui expenderit, non negabit opinor Livii Veronensem librum in eiusmodi quaestionibus aliquid momenti habere, quippe qui, cum propter supra p. 158 observata ante quartum saeculum scriptus esse nequeat, propter orthographiam plane Latinam et in multis priscae consuetudinis vestigia retinentem vix recte infra id ipsum detrudetur.

Sed ne videamur in Livii annalibus elementa tantum captare, iam pergendum est ad codicis in emendandis iis utilitatem enarrandam et vitiis item declaratis determinandam.

Codices Nicomachiani.

Decadis primae Livii quicunque innotuerant libri ante repertum Veronensem, eos originem ducere constat ex recognitione a Nicomachis duobus Flaviano (cos. a. p. Chr. 394, † eodem anno) et Dextro et a nescio quo Victoriano instituta exeunte saeculo quarto, ipsos autem in duo quodammodo genera discedere, melius alterum repraesentatum codice Vormatiensi iam deperdito et extantibus hodie Mediceo Parisinoque, alterum in universum fidei minoris, sed ut quibusdam locis illos vincat, repraesentatum Leidensi primo et Harleiano et Florentino S. Marci aliisque.

Codex Veronensis generis diversi.

Sed Veronensem librum iam Zumptius recte iudicavit non pendere ex Nicomachianorum archetypo, cum et subscriptionem eorum neque habeat neque habuerit umquam et in lectionibus tam veris quam falsis ab illis longe recedat, maxime nullum vestigium habeat dittographiarum earum, quae propriae sunt Nicomachianorum librorum et cum proficisci videantur a

---

[1]) In verbis dirimendis Vindobonensis communem legem sequi videtur, quamquam edita scripturae specimina non satis certa argumenta subministrant. Eandem legem obtinere in Puteano ex Silvestriano specimine (v. p. 161 n. 3) colligitur, ut ne in hac quidem re non errarit Alschefskius contendens eum divisionem sequi non syllabariam, sed arbitrariam.

grammatico aetatis Romanae, iure revocantur ad ipsam illam recognitionem saeculi quarti[1]). Commodum autem visum est ad auctoritatem librorum plenius et certius definiendam hoc loco componere, quae eius generis lectiones Nicomachianae incidunt in folia Veronensia comparationemque recipiunt.

Dissentientibus inter se codicibus Nicomachianis litem dirimit Veronensis.

scriptura primitiva:	*scriptura emendata:*	*scripturae primitiva et emendata coniunctae:*
16, 34 L. Lucretius *V*	P. Lucretius *PL*	P. L. Lucretius *M*
17, 14 satin salve VP^a	[satisne salva essent omnia]	sat iam satisne salua essent omnia in saluem *M*, satine salua essent omnia P^bL
22, 20 obsecundando *VL*	[obsequendo]	obsequendo secum dando *M*, obsecundo obsecundando *P*
27, 5 amore amens *VP*	amore ardens *L*	amore ardens mens *M*
35, 17 consilio VP^b	consulto *L*	consilio consulto *M*, consul consilto P^a
52, 17 Agrippa Mallius *V*	Agrippa Menenius *PL*	agrippa mia manilius enenius *M*
57, 59 Postumium Aebutium Helvium *VPL*	[Postumium Aebutium Helvam]	postumium aebutium helvam heluium *M*

[1]) Madvigium (emend. Liv. p. 5) non ignoro duplices scripturas has repetere non ab ipso archetypo codice Nicomachorum, sed ab exemplari aliquo inde descripto nostrorum archetypo communi, estque sane quaestio haec ex earum numero, quas difficulter decidas, cum praesertim satis constet interpolationem in hac decade non solum late grassatam esse, sed etiam crevisse per gradus. Sed in contrarium me ducit maxime, quod inter duplices lectiones quaedam inveniuntur enatae ex fastorum laterculo cum annalibus Livianis collato; talis enim emendatio magis apta videtur saeculi quarti grammatico quam aetatis posterioris. Utut est, non inutile erit quod supra institui duplicium lectionum Nicomachianorum librorum ad Veronensem examen. — Ceterum in Veronensi libro geminatae lectiones et rarissime reperiuntur et si quae sunt, eae diversae sunt a Nicomachianis. Ita p. 62, 58 in his est *Cn. Iulius Mento*, in Veronensi autem *genucius cn. iulius*, quod vix admittit aliam explicationem. Similiter explicari poterunt *tui et tum* 17, 29, cum requiratur *tum; deretinenda* 70, 21, ubi videtur scribendum *retinenda*.

scriptura primitiva:	*scriptura emendata:*	*scripturae primitiva et emendata coniunctae:*
60, 31 mihi diuturna non placere imperia *V*	quam mihi diuturna non placeant imperia *PL*	quam mihi diuturna non placeant re imperia *M*
66, 59 ad quam publico consensu venerant *VPL*	[ad quam consenserant consilio publico?]	ad quam consenserant consilio publico consensu venerant *M*
78, 11 aliquando fuerunt *VPL*	[aliquando inciderunt]	aliquando inciderunt fuerunt *M*
80, 34 nos intra *V*	nobis intra *ML*	nos bis intra *P*
87, 6 L. Verginium *V*	P. Verginium *P*	P. L. Verginium *ML*
93. 94 Sappinates *VML*	Salpinates *PML*	sal sappinates *M*, salppinates P^a. *Cf. infra ad h. l.*
100, 15 arcemque solam *VL*	[arcemque totam]	arcemque totam solam *M*, arcem totamque solam *P*
102, 2 pro tantis *VP*	[pro Latinis]	pro tantis pro Latinis *ML*

Quod si recte Veronensem diximus a Nicomachianis origine diversum esse, ubi hi aut contaminatarum lectionum duarum vestigia prae se ferunt aut eorum familiae inter se dissentiunt, eam lectionem aut veram esse oportet aut a vera proxime seiunctam, cui calculum adiciat Veronensis; eamque ratiocinationem confirmant supra relati loci ita fere comparati, ut binarum lectionum Nicomachianarum ea vera esse inveniatur, quam retinet Veronensis. Quod si duobus certe locis 52, 17. 57, 59 contrarium accidit, ii ad fastos pertinent potueruntque a grammatico saeculi quarti etiam contra exemplum emendari sive facili coniectura sive, quod magis crediderim, adhibito fastorum aliquo laterculo incorrupto. Similiter ubi dissentiunt inter se libri pleni, Veronensis stare solet cum genere meliore, maxime cum Mediceo Vormatiensique[1]), quorum librorum lectiones quasdam singulares et adhuc prae ceterorum consensu spre-

[1]) 9, 18 *pace parta* Veronensis et Vormatiensis adstipulante codice S. Marci, *parte pace P*, *parta pace ML*.

tas iam docet aut veras esse (vide infra ad III, 44, 6) aut veris proximas (vide infra ad IV, 23, 3. V, 41, 3). Sed idem aliis locis confirmat lectionem librorum deteriorum, Leidensis dico similiumque, quo pertinent et loci infra enarrati quidam, ut V, 52, 13 et VI, 1, 8, et minoris momenti alii, ut 44, 3 *in quo statu VL*, *quo statu MP*; 45, 17 *ab Ardea VL*, *ab ardeat P*, *ab ardeatibus M*; 50, 10 *nequiquam VL*, *nequaquam MP*; 88, 60 *kal. Octob. VL*, *a kal. Octob. MP*; 94, 4 *C. Iulius VL*, *iulius MP*. His quos diximus locis cum in dissensu Nicomachianorum Veronensis teneat lectionem per se probabilem, sunt quidam, sed numero pauci nec magni momenti, in quibus cum item dissentiant Nicomachiani, Veronensis facit cum lectione corrupta:

lectio vera:	*lectio corrupta:*
20, 57 celebrant *MP*	celebrabant *VL*
24, 16 addit *MP*	addidit *VL*
107, 5 iussumque templum *MP*	iussumque et templum *VL*
12, 9 habituros edicimus $M^b PL$	habituros sedicimus VM^a
19, 20 ad Eretum *PL*	ad fretum *VM* *Cf.* 24, 3
70, 41 tum *PL*	cum *VM*
32, 42 apparare $MP^b L$	apparere VP^a

In quibus id ipsum evenisse potest quod supra statuimus de locis 52, 17 et 57, 59, scilicet corruptam lectionem in his primitivam esse ex archetypo communi in utriusque generis libros translatam, emendationem autem coniectura inventam esse sive ab ipso Nicomacho ita, ut altera quoque scriptura in eius exemplari remaneret, sive a librario aetatis posterioris. Sed etiam casui aliquid dandum est in talibus neque quae vera esse in universum apparet, tam anxie persequenda, quasi omnia tam parva quam magna lex et ratio peraeque regerent.

Veronensis Nicomachianorumque errores communes.

At sicut certum est Veronensem librum non proficisci ex Nicomachorum, ita non minus constat tam hunc quam illum pendere ab archetypo communi eoque a primitivo Livii exemplari longe remoto inquinatoque iam multis mendis tam ex incuriositate enatis quam ex mala sedulitate antiquariorum emendatorumque. Quod cum quivis non hebes ipse intellegat, confirmabo paucis exemplis allatis corruptelarum indubitatarum, in quibus consentiant libri Veronensis et Nicomachiani.

vera lectio:	*corrupta lectio reperta in VC:*
2, 45 T. Verginius Rutilus	T. Verginius Rutilius
11, 48 actionem tam gravis rei	rei *om.*
16, 44 dixerat	dixerant
17, 37 virum ipso imperio vehementiorem	virum in ipso imperio vehementiorem
19, 24 Fabius	Fabius Quinctius
21, 1 ad rumores hominum de unoquoque legum capite editos satis correctae viderentur	edito *pro* editos
21, 27 appellationi	appellatione
21, 42 cum qua contenderant	cum qua contenderent
22, 38 per coitionem	per contionem
24, 3 ad Eretum	ad fretum. *Cf.* 19, 20
30, 9 quam quem	quamque
31, 13 at se provocare	ait se provocare
43, 37 Esquilias vidimus	Esquilias quidem
50, 5 C. Furio Pacilo	C. Furio Pacilio
55, 53 nefanda	nefandis *V*, nefandas M^a, nefandum *L*
58, 12 Nomento	momento
66, 55 Sp. Nautius Rutilus	Sp. Naevius Rutilius
79, 37 nec opera	nec operam
80, 40 quicquam	quisquam
82, 5 num	nunc
93, 7 legem una plures tribus	legem unam plures tribus

Accedunt exempla, de quibus infra dicetur, ubi Veronensis servavit corruptelarum archetypi in Nicomachianis male emendatarum formam primitivam. Quamquam igitur lectionis iam praeter Nicomachianos a Veronensi quoque testatae auctoritas non exiguo momento crevit nec facile recedemus a testium antiquissimorum consensu, tamen auctoritas illa nequaquam ea est, quae probabilem ratiocinationem aut excludat aut vincat. Sunt sane quaedam, ubi propter Veronensem librum ab iudicio etiam optimorum criticorum appellandum esse crediderim; ita fortasse ferendum erit quod legitur 3, 29, 7 = p. 19, 15 *Lanuvium exi-*

lium abiit omissa praepositione; nec magistrum equitum *L. Tarquinium* 3, 27, 1 = p. 17, 45 commutarim in *L. Tarquitium* propter fastos Capitolinos, quibus in universum a Sigonio inde nimium tribui existimo in crisi Liviana. At pleraque, quae sani iudicii grammatici in Livianis corrupta iudicaverunt, non propterea vindicata erunt, quod totidem litteris perscripta leguntur in Veronensi.

Corruptelae et interpolationes libri Veronensis.

Propria quae habet Veronensis, alia bona sunt, alia mala nec negari poterit in plerisque vincere haec Nicomachianumque codicem, licet non ipso utimur, sed exemplaribus eius, et fide et diligentia aliquantum praestare Veronensi. Qui quem scripsit pulchre magis quam bene quoties peccarit ignavia inscitiave, non opus est multis exagitare, cum ipsae huiusce editionis margines infelicem hominem satis castigarint et qui volet errorum copias inde petere possit et si qui erunt mendorum venatores, etiam iustos ordines eorum sibi contexere. Missos igitur facimus tales errores, quales sunt 2, 43 *circa* pro *clari*; 14, 8 *aut iam* pro *auctam*; 16, 48 *aegerunt quam* pro *aeger umquam*; 32, 32 *ab ea* pro *ob eam*; 58, 45 *ad vineas* pro *ad vanas*; 97, 58 *quod iniquiore* pro *quo id aequiore*; 100, 1 *a continuatione* pro *a contentione*; 101, 16 *ubi Camillus exululabat* pro *exulabat*; 107, 46 *quo ad Ardeam vixi* pro *quoad Ardeae vixi*. Sed quod vel in his apparet studium corrupta vel non intellecta ita formandi, ut verba certe efficiantur Latina, ut ipsum interpolationi proximum est, ita aliis locis et plurimis quidem ad veram interpolationem degeneravit. Rariora et exquisitiora, quae librarius non assequeretur, audacius nescias an ineptius immutavit, ut 4, 43 *belli vires* substituit pro *belli res*; 78, 24 *viderentur* pro *rentur*; 99, 51 *censas* pro *tensas*; 99, 15 *ubi de Spurio religio est* pro *ubi despui religio est*, maxime exosus propria et sollemnia, ut 35, 32 ex *agitedum* fecit *agite*; 27, 16 pro *postulantibus vindicias cedere* maluit *petentibus vindicias edere*; 28, 31 *lege agere* corrupit in *lege adsignare*. Tribus locis *inflati* vocabulum in Livium intulit bis pro *elato* 51, 50. 94, 1, tertium pro *irritato* 69, 42, ut alibi 62, 45 *iratus* maluit quam *irritatus*[1]). Alibi *conditas religiones* dedit pro *positis* 108, 26, *contemnere* pro *aspernando* 118, 23, *reportare* pro *referendo* 1, 6, *infestum* pro

[1]) *Studiis* quod ibidem est pro *animis*, non tam consilio videtur orationi illatum quam adsumptum ex versu sequente, ut similiter 35, 49 *victoriae* scriptum est pro *gloriae* ideo quod illud mox redit.

infenso 47, 55, *remittere* pro *relinquendo* 106, 30, *oppressum* pro *obsesso* 11, 5, *excursationem* pro *excursione* 24, 20, *exilire ex equo* pro *desiliendo* 36, 4, *quod Caesonis sodalicium fuit* pro *quod Caesonis sodalium fuit* 8, 53, *praefectus erat urbis* pro *praeerat urbi is* 3, 55 (cf. Liv. 3, 9, 6). Quae qui examinabit, pleraque inveniet ita comparata, ut ne tolerabilia quidem sint; ita 51, 50 *efferri supra modum* et 94, 1 *efferri superbia* tam apte dicitur quam inepte *inflari supra modum* et *superbia inflari*, nec tertio loco 69, 42 *inflati utriusque partis animi* pro *irritatis* patronum facile invenient; reliqua autem si qua erunt per se non improbanda, eiusmodi societatis labe trahuntur. Omnium maxime inscita haec temeritas grassata est in nomina propria, pro quibus librarius saepe subdidit vocabula communia, ut 27, 34 *virginis* dedit, ubi est *Vergini*; 76, 24 *alteras et*, ubi *Ecetras*; 107, 6 *aut alio loco*, ubi *Aio Locutio*; 69, 54 *illi*, ubi *Icilii*; 76, 32 *anxis*, ubi *Anxur*. Item *Iulios Iulos* cum ferri non posse sibi persuasisset, cognomen constanter suppressit 66, 56. 71, 25. 118, 45 in libris Nicomachianis ita servatum, ut abierit fere in *Tullus* vel *Tullius*. Denique ne numerem *Servilios Sulpicios* 2, 46. 118, 47, quod genus est erroris diversum, *Icilios* non semper (30, 12?. 69, 6. 70, 53. 71, 29), plerisque tamen locis (21, 60. 26, 59. 27, 35. 28, 50. 57 cf. 37, 26) in *Sicilios* transformavit. Praeterea non paucis locis suo arbitrio particulam quandam vel aliud quoddam vocabulum inseruit, ut 2, 40 *quamquam* coniunctum id cum corruptela quae praecedit *quamquam tam* pro *quam quanta*; 50, 33 *ubi* natum fortasse ex vocabulo quod praecedit *consulibus*; 76, 36 *hac* propter id quod praecedit *ab ea parte*; 85, 45 *nec* propterea quod idem praecedit v. 41 eique quod respondet alterum *nec* v. 42 corruptela oblitteratum est; 78, 38 *sive illud pro plebe* [*est*] *sive* [*illud*] *contra plebem est* sic auxit ut indicavi. Similiter, licet de origine minus ibi constet et ex parte non interpolationes hae, sed errores esse videantur, insertum reperies 56, 51 *in*; 62, 56, item 64, 44 *est*; 66, 46 *neque*; 70, 12 *enim*; 77, 26 *nisi*; 89, 56 *dum*; 94, 33 *iterum*; 108, 10 *eam*. — His in universum observatis aliquot locos subieci item interpolatos, sed propter certas causas non indignos, quos brevi enarratione persequamur.

p. 2, 50: *senatus ... ad deos populum ac vota vertit: iussi ... supplicatum ire ... ad id quod sua quemque mala cogebant auctoritate publica evocati omnia delubra implent.* Sic haec recte scripta sunt in libris vul-

garibus, nisi quod antiquissimo errore cum Veronensi quoque communicato pro *publicaevocati* legitur *publicevocati.* At idem Veronensis mira interpolatione enuntiatum ita deformavit: *iussos ... supplicatum ire auctoritate publice vocat: omnia delubra impleant*; quamquam etiam magis mirum est inventum esse qui hoc defenderet, quasi Livius tam inani repetitione uti potuerit, ut cives tam iuberentur supplicare quam auctoritate publica ad id evocarentur.

p. 30, 30 ubi legitur: *urbem intravere sub signis mediaque urbe agmine in Aventinum pergunt*, Veronensis post *agmine* inserit *ingenti.* Scilicet grammaticus non intellexit vim orationis non in numero plebeiorum niti, sed in ordinatione militari.

37, 2 *populus iniussu et altero die frequens iit supplicatumque est* reliqui libri, *populi iussu et altero die supplicatumque est* Veronensis. Extrema *que est* male intrusa esse dudum perspexerunt viri docti neque defendi poterunt, quamquam iam intellegimus adiecta haec esse antiquissimo tempore; prior autem interpolatio propria est Veronensi.

48, 19 *Romanus Ardeae turbatas seditione res ... composuit.* Sic recte iam libri deteriores; at optimi quique ex Nicomachianis pro *turbatas* habent *turbata* idque ipsum est etiam in Veronensi omittente praeterea *res* et pro *Ardeae* dante *Ardea*, illud casu opinor, hoc ex interpolatione accommodata ad mendam primitivam videlicet antiquissimam.

49, 1 *Consules creant M. Fabium Vibulanum Postumum Aebutium Cornicinem.* Ita Nicomachiani; at Veronensis: *consules creantur M. Fabius Bibulanus Postumius M. Aebutius Cornicen* evidentissima interpolatione, nam Marci praenomen altero loco originem duxit ex littera extrema accusativi *Postumum* male ad nominativum redacti. Causa interpolandi videtur fuisse Postumi praenominis ignorantia.

51, 42 *ad levandam publica cura annonam.* Nicomachiani libri cum habeant fere *publica curam annona*, Veronensis gliscente interpolatione sic dat: *publicam curam annona.* Quamquam in minoribus hisce et a pronuntiandi vitiis pendentibus erroribus difficillime fines reguntur inter consensum eum, quem casus fecit, et ex archetypo propagatum.

52, 19 *L. Minucius praefectus annonae seu refectus seu ... in incertum creatus.* Sic recte reliqui libri; Veronensis cum pro *refectus* dedisset *praefectus, praefectus annonae* qui praecedit ibidem factus est *praetor.*

62, 51 *tumultus causa fuit* Veronensis interpolator ita immutavit ut fieret *tumultus causae fuerunt.*

p. 62, 58 *Cn. Iulius Mento* consul Veronensi dicitur *Genucius Cn. Iulius* omisso cognomine, quod etiam Cassiodoriana excerpta Livio adserunt, adsuto autem primo nomine, quod originem traxisse videtur ex praenomine male repetito (cf. p. 177 not.).

p. 92, 54 *qui legatorum nomen donumque et deum cui mitteretur et doni causam veritus* ita pessumdedit interpolator, ut post *causam* intruderet *cognovit.*

p. 99, 4 *quae sacrorum secum ferenda, quae, quia vires ad omnia ferenda deerant, relinquenda essent consultantes* simili interpolatione ita corrupta sunt in Veronensi, ut *et quae* insereretur ante *relinquenda.*

p. 102, 34 *nec pati haec omnia Galliam fieri* cum librario nimium videret, pro *Galliam* inepte substituit *a Gallis.*

p. 104, 41 *non animi tantum in dies, sed* [*numerus*] *etiam vires*[*que*] *crescebant.* Intra parentheses conclusa solus habet Veronensis.

p. 108, 8 sq. *quid enim repetiimus, quid obsessam ex hostium manibus eripuimus, si reciperatam ipsi deserimus?* Veronensis interpolator post *manibus* inserit *eam*, deinde pro *ipsi* vocabulo substituit *obsidione*, illius vim non satis assecutus.

p. 110, 3 postquam Camillus orationis primam partem absolvit oppidi translationem uetari religione, secundum librum Veronensem ad secundum locum de necessitate migrandi ita transitum facit: *at enim apparet quidem .....nia nec ullis piaculis expiari posse.* Quae videntur adiecta esse a rhetore quodam, ut partes orationis facilius distinguerentur: nihil enim hoc quidem loco desideratur nec causa apparet, propter quam librarius haec omittere potuerit.

p. 115, 45 post *vallum* quod est in uno Veronensi [*a*] *militibus munitum,* manifesto glossa est.

Haec similiaque qui considerarit in Veronensi inventa, cum Nicomachiani omnes quamquam quinque minimum saeculis post eum scripti a tali labe immunes sint, ne ille recensione Nicomachiana aliquantum profectum esse intelleget (quamquam Nicomachus fortasse non tam sua emendatione Livio profuit quam selecto exemplari aliquo antiquo et prae eius aetatis vulgaribus emendato), nec negabit in summa re, ubi ratioci-

natio deficiat, illos sequi tutius esse quam librum nuper nobis restitutum non tantum propter fundamenti aequabilitatem, sed etiam propter ingeneratam illorum praestantiam.

Veronensis liber quibus locis verum solus servarit.

Nihilominus ut probi iudices ubi fieri potest duobus testibus rem agere malunt quam uno nec eum, qui minoris fidei sit, propterea de foro pellunt, ita Veronensis quoque liber non paucis locis solus verum servavit et ut plurimis locis erroris et interpolationis convincitur a Nicomachianis, aliis rursus similiter hos coarguit et eius quidem interpolationis, quae cum longe distet ab ineptis Veronensis librarii commentis, eo facilius fallat et magis noceat (v. ad III 65). Haec deinceps enarravimus, scilicet missis iis, quae tota pendent ex auctoritate librorum[1]), missis item minoribus non ita paucis[2]), maxime, ubi lectio per se certa et dudum restituta iam emergit ex Veronensi; neque omnino hoc egimus, ut complecteremur quidquid ex fonte iam patefacto in crisin Livianam redundaturum sit, nec potuissemus, etsi maxime voluissemus. Neque enim Livium edo neque editurus sum, quippe cui satis sit aliquatenus didicisse eo uti. At hoc a meo incepto non abhorret componere meliora et graviora, quae quidem intellegam a codice Veronensi suppeditari. Pertractare autem eiusmodi quaestionem et quantum nostrae aetati datum est absolvere cum unus homo possit ex iis qui hodie sunt Madvigius, hoc optamus, ut telam a nobis incohatam et retexat, ubi opus est, et detexat.

III 8, 7 p. 3, 50 *urbi quoque Romae ingens praebitus terror magis re subita quam quod .... parum virium esset.* Sic Zumptius l. c. p. 22 et

---

[1]) Quo pertinet ordo verborum non raro in Veronensi diversus a reliquis, ut 5, 46. 7, 41. 9, 18. 11, 12. 16, 49. 25, 25. 26, 28. 29, 47. 33, 58. 42, 26. 51. 43, 55. 52, 9. 53, 24. 56, 42. 58, 59. 60, 28. 61, 58. 62, 37. 70, 17. 80, 14. 86, 39. 93, 29. 94, 45. 97, 29. 101, 45. 115, 2. 117, 35. 118, 39. 119, 41; nam argumentis raro talia diiudicabis, ut 80, 14 aperte peccat Veronensis, contra 9, 18 ideo sequendus erit, quod Vormatiensis et quodammodo etiam Parisinus cum eo stant. Idem cadit in similia, ut in permutationem particularum *et*, *ac*, *que* e. c. 41, 24. 44, 50; formas tertiae pluralis perfecti *-re* et *-runt*, ut 32, 46. 45, 56; *faciendum* et *faciundum* 110, 27; *rursus* et *rursum* 81, 50; *uti* et *ut* 119, 40, alia non pauca, etiam gravioris momenti, ut 16, 4 ancipites haeremus, utrum legamus cum Nicomachianis *ad Columen* an cum Veronensi *ad Colume*.

[2]) Ut *hospitum* pro *hostium* 51, 40; *a ceteris* pro *ceteris* 37, 56; *et sollemnibus iocis* pro *ex sollemnibus locis* 19, 2; *sequeretur* pro *sequerentur* 27, 46; *rei* pro *rei p.* 29, 44; *inulta* pro *invita* 29, 52; *praerogativam* pro *praerogativa* 30, 16; *ni* pro *ne* 32, 14; *Aulus Postumius Tubertus* pro *Aurelius Postumius Tuberos* vel *Tuber* 59, 35.

Madvigius (ed. vol. II p. IV) secundum Veronensem, in quo est *res subita*; reliqui *in re subita*.

III 12, 4 p. 6, 19 *T. Quinctius Capitolinus ... adfirmabat .... Sp. Furius missum ab Quinctio Capitolino sibi eum venisse subsidio.* Sic, nempe *Furius missum*, Veronensis, ut restituerunt iam editores antiqui; *Furium ipsum missum* libri reliqui.

III 12, 5 p. 6, 38 *L. Lucretius* Veronensis recte, male reliqui (solo Florentino S. Marci excepto, nisi de hoc quoque errat Hertzius, sicut de Leidensi primo non recte rettulit Drakenborchius) *P. Lucretius.*

III 12, 7 p. 6, 55 *quod offendat in eo fervorem et audaciam aetatem cottidie magis auferre.* Vocabulum *magis*, quod habet solus Veronensis, tam apte sententiam explet, ut quamquam eius additamenta pleraque falsa esse constat, hoc retinendum esse mihi quidem persuasum sit.

III 13, 6 p. 8, 10 *pecuniamque, ni sistatur, populo promitti* Veronensis, cum *nisi sistatur* in reliquis sit contra usum in his formulis sollemnem.

III 13, 8 p. 8, 19 *unum vadem tria milia aeris obligaverunt* Veronensis, cum reliqui libri meliores notas habeant. Illud videant grammatici num ferri possit, cum summa vadimonii non, ut summa credita, causam obligationis in se contineat itaque fortasse defendi possit obligari nos assibus centum creditis, sed ex vadimonii causa obligari centum asses.

III 13, 10 p. 8, 40 *devio quodam tugurio* sic ut restituerunt Campanus et Rhenanus etiam Veronensis, cum *deuo* sit in Vormatiensi et Mediceo, *de ullo* in reliquis.

III 19, 3 p. 9, 39 *tribus liberis, quorum nemo Caesoni cedebat magnitudine animi, consilium adhibendo ubi res posceret priores erant.* Verba *et modum*, quae in reliquis libris leguntur post *consilium*, a Veronensi autem afuisse iam Zumptius sensit, delenda esse apparet.

III 19, 12 p. 11, 32 *nescio quo fato magis bellantes quam pacati propitios habemus deos. Fato* repertum adhuc tantummodo in libris deterioris notae iam confirmat Veronensis; optimi secundi generis *facto*, Madvigius *pacto.*

III 21, 2 p. 13, 18 *senatus consulta fiunt, ut neque tribuni legem eo anno ferrent neque consules ab urbe exercitum educerent; in reliquum magistratus continuari et eosdem tribunos refici senatum iudicare contra rem p. esse.* Sic Veronensis. Ex reliquis libris excidit *ut*, quapropter Madvigius

(emend. p. 72) proposuit *senatus consultum fit, ut.* Pluralis autem recte se habet, nam secundum consuetudinem Romanam talia comprehendi solebant non uno eodemque consulto argumenti miscellanei, sed pluribus simul factis. Deinde *eosdem tribunos* Veronensis, sicut edidit Frobenius, *eos tribunos* reliqui, unde fecerunt *consules tribunos* Heerwagenus, *consules tribunosve* Madvigius. Videmur autem adquiescere posse in lectione Veronensis ita, ut decretum de magistratibus continuandis accipiamus de patriciis, quibus solis satis constat vere convenire nomen magistratus[1]); similiterque locutus est Livius mox c. 64, 1: *ut iidem tribuni reficerentur et ... consulibus quoque continuarent magistratum.* Verum est mox Livium de continuandis magistratibus ita dicere, ut aperte comprehendantur plebeii (§. 4: *quia plebs senatus consultum in continuandis magistratibus solvit*); at cum minus proprie etiam tribunis magistratus tribuatur, potuit Livius in senatus consulto referendo legitimum usum sequi, in oratione consulis cottidianum.

III 23, 6 p. 16, 4 *victor ad Columen* (*Colume* Veron.) *exercitu reducto castra locat.* Hoc quod dudum Sabellicus Livio restituit illumque secuti Madvigius et Weissenbornius, nunc prodit ex ipso libro Veronensi (nam errat de eo Zumptius); *relicto* pro *reducto* libri reliqui.

III 24, 5 p. 16, 56 *adfirmantibus qui una meruerant secum eum tum frequentem ad signa sine ullo commeatu fuisse. Frequentemque* libri vulgares, *frequente* Veronensis; unde *frequentem*, quod olim Sigonius sub auctoritate ut solet ementita reposuit, verum esse agnovit Madvigius in ed. vol. II p. IV.

III 26, 9 p. 17, 3 *fossam fodiens palae innixus* Sabellicus itemque teste Zumptio p. 35 is qui scripsit librum Vaticanum n. 3329 proposuerunt, cum *palo* sit in libris idoneae auctoritatis omnibus; iam quod est in Veronensi *paleae* (non *pelele*, quod legere sibi visus est Zumptius) etsi non verum, tamen aliquanto propius a vero abest. Paullo post v. 10 idem liber recte habet *quod bene verteret*, ubi in reliquis est *verterat.*

III 29, 6 p. 19, 5 *eo die L. Mamilio Tusculano ... civitas data* Veronensis, *data est* reliqui. Similiter III 31, 1 p. 20, 48 *annona propter aqua-*

---

[1]) Scilicet *magistratus plebis* sive *plebeii* tribuni aedilesque plebis recte dicuntur et proprie, non recte *magistratus populi Romani* nec magis recte *magistratus* simpliciter, certe in actis publicis, ubi quidquid eius generis nude enuntiatur, ipsa re refertur ad populum.

rum intemperiem laboratum ille, *laboratum est* hi. Item III 65, 4 p. 40, 2 *unde Aspero etiam inditum cognomen* ille, *inditum est* hi.

III 34, 6 p. 21, 5 *leges perlatae sunt, qui nunc quoque .... fons omnis publici privatique est iuris.* Ita, nempe *qui ... fons*, Veronensis, *quae ... frons* libri vulgares; posterior mendae pars dudum sublata est, prior adhuc remansit.

III 38, 5 p. 24, 22: *Aequi ... depopulantur ... Tusculanum agrum; legati ea ab Tusculo praesidium orantes nuntiant. Ea*, quod est in uno Veronensi, magis crediderim ab Nicomachianis male omissum quam in illo adiectum.

III 38, 9 p. 24, 56 *solitum quicquam liberae civitati* Veronensis; quod exhibent reliqui *civitatis* emendarunt iam Drakenborchius Madvigiusque.

III 42, 4 p. 25, 4 *numquam se aequo certamini committentes. Certamini* Veronensis, reliqui *certamine*; illud dubitans licet proposuerat olim Gronovius. Ceterum *numquam* Veronensis et Leidensis, *nusquam* Parisinus et Mediceus.

III 42, 7 p. 25, 29 *arma Tusculum ac supplementum decernerent*, quod proposuit Gronovius probante Madvigio pro lectione tradita *ad supplementum*, visus sum mihi legisse in Veronensi.

III 43, 6 p. 26, 16 *postquam nullum spoliatum ibi corpus Sicciumque in medio iacentem armatum omnibus in eum versis corporibus videre* Veronensis recte deleta particula *que*, quae in reliquis adhaesit ad *armatum*. Nam una cogitatio est, quae enuntiatur, nec incidendo distrahenda.

III 44, 4 p. 27, 7 *postquam omnia pudore saepta animadvertit* Veronensis, non *animadverterat*, ut vulgati. Offendit fortasse, cum sic pergatur *ad crudelem superbamque vim animum convertit*, duorum enuntiatorum similis exitus.

III 44, 5 p. 27, 12 *M. Claudio clienti negotium dedit, ut virginem in servitutem adsereret ....; quod pater puellae abesset, locum iniuriae esse.* Quod in fine addunt reliqui libri *ratus* a Veronensi abest, recte puto.

III, 44, 6 p. 27, 20 *virgini venienti in foro — ibi namque in tabernaculis ludi litterarum erant — minister decemviri libidinis* cet. Sic Veronensis cum Vormatiensi et Mediceo, cum *in tabernis* sit in Nicomachianis reliquis. Hoc qui nuper Livium recognorunt omnes admisisse praeter unum Alschefskium, qui mallem nullus esset, ipsumque Madvigium (emend. p. 27) inter

menda duobus illis codicibus propria hoc quoque numeravisse miror; neque enim dubium videtur tabernaculum in foro ad tempus positum ludo multo magis aptum esse quam tabernam angustam et forum versus patentem. Denique interpolatio facile desumi potuit ex iis quae sequuntur c. 48, 5.

III 44, 6 p. 27, 20 *virgini .... manum inicit serva sua natam servamque appellans: sequi iubebat cunctantemque vi abstracturam* Veronensis; *manum iniecit servam suam natam servamque appellans esse sequique se iubebat, cunctantem vi abstracturam* reliqui, ubi *serva sua* restituerunt et *esse* induxerunt editores. Omnino illa lectio praestat, nisi quod *que* post *cunctantem* non probarim. In eo quod sequitur: *Vergini patris sponsique Icili populare nomen celebratur*, haec Leidensis libri aliorumque lectio confirmatur eo quod in Veronensi est *celebratum*; nam reliqui *celebrabatur*.

III 50, 14 p. 29, 9 *quippe ab ipsis datum locum seditioni esse.* Reliqui *seditionis*, quod recte emendarunt Glareanus Dukerus Madvigius.

III 50, 16 p. 29, 22 *non defuit quod responderetur* Veronensis idque pro tradita lectione *quid* vel *qui* dudum revocarunt Reizius Hertzius Madvigius. Similiter eadem pagina v. 44. 52 et sequens v. 16 emendationes quasdam etiam per se certas confirmant.

III 56, 12 p. 31, 7 *quod si tribuni eodem foedere obligatos se fateantur tollendae appellationis, in quam conspirasse Xviros criminati sint, ait se provocare ad populum.* Sic haec scripta sunt in Veronensi eiecta voce *causa*, quam reliqui libri admittunt post *appellationis* aperta interpolatione. Praeterea quae temptaverunt viri docti *in quod* pro *in quam* Madvigius, *at* pro *ait* Gronovius probabiliter, iis Veronensis liber non suffragatur.

III 61, 12 p. 34, 35 *Iam Horatius eos* (milites) *excursionibus proeliisque levibus experiundo adsuefecerat sibi . . . fidere* Veronensis omisso vocabulo *sufficiendo* post *excursionibus* obvio in reliquis libris, quod intellegi posse recte negavit Madvigius, minus feliciter substituit *subigendo*. Etiam *levibus* iam codice confirmatur; nam *lenibus* Nicomachiani.

III 62, 3 p. 35, 20 *quod ad me adtinet, id consilii animique habiturus sum, quod vos mihi feceritis, milites.* Sic partim lectum est, partim ad spatia suppletum in Veronensi confirmante in universum restitutionem huius loci Madvigianam (emend. p. 84); *mihi tegeritis* Leidensis, *mihi effeceritis* Paris., *milites geritis* Med., quorum trium librorum archetypum hoc quidem loco accurate videtur repraesentare Leidensis, ex cuius lectione

duae aliae videntur effectae coniectura plus minusve felici. Extremum [*milite*]*s* incertum est, cum in Veronensi non apparuerit nisi post spatium sufficiens littera *s*.

III 62, 8 p. 36, 4 *equites ... sescenti fere* Veronensis (nisi quod *sescentis* librarius dedit) ut dudum emendarunt editores; *ac* pro *dc* libri reliqui.

III 63, 5 p. 36, 59 *senatus unum diem supplicationis consulum nomine decrevit* liber Veronensis; *in unum diem supplicationes* (— *nis* P^a) reliqui.

III 63, 7 p. 37, 21 *iam tum Apollinare appellabant* Veronensis, ut olim restitutum est; libri reliqui *apollinarem* uel *apollinarum*.

III 63, 9 p. 37, 35 *in tribunum* Veronensis deteriorum coniecturae calculum adiciens, *in tributum* Nicomachiani qui fidem habent.

III 64, 2 p. 38, 15 *iura tribunorum plebis* Veronensis, *iura plebis* reliqui.

III 64, 3 p. 38, 20 *per factionis suae consules*. Lectio haec a Madvigio substituta pro tralaticia *factionis* (s. *factiones*) *suas* commendatur Veronensi, quae videtur esse *factionis sua*.

III 64, 6 p. 38, 52 *auctores populares sententiae haud populari* Veronensis optime; libri reliqui pro *populari* habent *populares*, editiones *popularis*.

III 64, 7 p. 38, 60 *memor libertatis per illos receptae domi, memor militiae rerum gestarum*. Sic scribi iussit I. Fr. Gronovius, cum in libris repperisset *rerumque*; iam quod *quae rerum* proponit Veronensis, ex interpolatione quarto saeculo antiquiore, sed eo tempore sedis adhuc incertae particulam *que* originem traxisse declarat neque aliud patitur oppositorum ratio.

III 64, 9 p. 39, 20 *tribuni modo ut relinquerentur*. Dukeri haec emendatio pro eo quod traditur *tribunis* confirmatur Veronensi etsi hoc versu obscurato.

III 64, 10 p. 39, 26 *recitabatque rogationis carmen, in quo: si tribunos plebis X rogabo, si qui vos minus hodie X tribunos plebis feceritis, tum uti quos hi sibi collegas cooptassint, legitimi eadem lege tribuni plebis sint, ut illi quos hodie tribunos plebis feceritis*. Sic fere haec videtur constituenda esse. Post *in quo* inseruit Madvigius *esset* idque verum est aegre desiderari; at coniunctionem *si* quae sequitur sustulit non recte, cum nuda positio 'tribunos .. rogabo' a sermone legitimo abhorreat, duplex

autem eiusmodi condicio plane ei conveniat. In mentem venit *si inquit* pro *in quo si.* Deinde verba *si qui vos minus hodie X tribunos fecerint iis* (sic *P*, *fecerint ii ML*), in Veronensi recte legi non potuerunt, quamquam *feceritis*, quod unum verum est, reapse in eo videtur perscriptum fuisse. Sequentia autem duobus locis ope eius libri emendantur, primum inserto vocabulo *hi*, deinde sublatis vocabulis *ut illi* in vulgatis libris male repetitis ante *legitimi*; nam afuisse ea a Veronensi spatii rationes demonstrant.

III 65 p. 39, 41 postquam dictum est de comitiis tribunorum plebis a. 305 ita perfectis, ut quinque tribunis creatis plebis suffragiis cooptatio collegarum permitteretur, Nicomachianae recensionis libri ita pergunt: *novi tribuni plebis in cooptandis collegis patrum voluntatem foverunt; duos etiam patricios consularesque Sp. Tarpeium et A. Aeternium cooptavere.* Longe aliter Veronensis: *no . . . . . pariciosnetl . . . . . cooptavere*, quae reliquiae ad eiusmodi fere restitutionem ducunt: *No*[*vi tr. pl. C. M.*] *P. Aricios N. et L. Aternios cooptavere*; videmurque nobis hoc loco deprehendere interpolationem non grammaticam, sed historicam. Quod dicimus non tam propter scripturae diversitatem ex mero librariorum errore vix satis explicandam quam propter ipsam rei traditae naturam. Scilicet quod refert Livius ille Nicomachianus, explicari non potest nisi ita, ut sumamus patricios illos duos antea ad plebem transisse; nam qui essent patricii, eos tribunos plebis creatos esse et rerum memoriae et publicis legibus ita refragatur, ut id non solum factum esse umquam negandum sit, sed adeo veterem auctorem ullum id posuisse (v. *röm. Forsch.* 1, 112. 124). Et vere Livius paullo post (4, 16) ita scribit: *hunc Minucium apud quosdam auctores transisse a patribus ad plebem undecimumque tribunum plebis cooptatum . . invenio.* Similia vel tradi vel fingi potuerunt de consulibus a. 300 nec per se iustam suspicionem moveret, quod ea narratio non invenitur nisi apud solum Livium; at hoc movet, quod hoc loco verbum nullum fit de patriciorum transitione ad plebem et ita res enarratur, quasi ordinis patricii homines tribunatum plebis susceperint retento patriciatu. Num credibile est auctorem, qui de hisce rebus planis et apertis ne potuerit quidem errare necessariamque illum status mutationem loco posteriore quamquam in re obiter memorata recte declararit, hoc priore et graviore longe eam suppressisse et tam inepte rem narrasse, ut ad perversam plane de ea re opinationem lectores necessario perduceret? Con-

tra et probabiliter statuemus Livium nomina cooptatorum tribunorum adscripsisse, cum primi hi essent qui per cooptationem ad eum honorem pervenissent, et cum nomina antiquitus labem passa essent, Nicomachianae scholae emendatorem primum ita deceptum esse, ut sibi videretur Livius scripsisse talia: *novi tr. pl.... patricios... cooptavere*, deinde adhibitis locis de consulum collegio a. 300 et de tribuno plebis undecimo Minucio locum ita constituisse, ut iam legitur. Nec hoc praetermittendum corruptum nomen *Aeternii* pro *Aternio* tam hoc loco codicibus Nicomachianis insidere quam altero 3, 31, 6, cum verum Aternii ab ipso Livio positum esse constet ex testimonio Cassiodori (cf. *röm. Forsch.* 1, 107). Haec dicta sunto, ut qui postea de his quaerent acris ingenii et prudentis iudicii viri, totam de huius generis interpolationibus quaestionem omnium Livianarum et gravissimam longe et difficillimam denuo diligentissime pertractent.

III 65, 4 p. 39, 57 *ut qui plebem R. tribunos pl. rogaret, is adeo rogaret, dum X tribunos pl. faceret.* In libris praeter Veronensem quod legitur *usque eo* pro *adeo*, fortasse interpolatum est, cum *adeo* hac significatione praeterea non inveniatur nisi in antiqua locutione 'adeo rem rediisse', videatur autem hisce verbis utpote desumptis ex antiquissima lege obsoletae significationis vocabulum recte convenire.

III 65, 5 p. 40, 6 *contentiones* Veronensis cum edd., *contiones* ceteri.

III 65, 6 p. 40, 18 *urbano quoque otio foris omnia tranquilla esse.* Sic codices vulgares. Contra Madvigius emend. p. 85: 'debebat dici *urbano otio foris quoque* nec ulla est mutati ordinis excusatio'. Similiter, nempe *urbano otio foris*, liber Veronensis habet, nisi quod particulam non transponi iubet, sed deleri.

III 66, 2 p. 41, 12 *sed imminebat utrumque iam, nec ultra discordia civium reprimi poterat* Veronensis; *non* pro *nec* Nicomachiani; utrum verum sit, videndum.

III 67, 1 p. 42, 5 *cum pudore summo in conspectum vestrum processi* Veronensis; *in contionem vestram* recentiores. Illud praetulerim.

III 67, 5 p. 42, 37 *si in vobis* Veronensis cum edd., *sin vobis* ceteri.

III 67, 6 p. 42, 50 *discordia ordinum et venenum huius urbis patrum ac plebis certamina* Veronensis proponit ut coniecit Madvigius em. p. 86; nam *est* pro *et* Nicomachiani. At in iis quae sequuntur, nisi erravi ego, Veronensis quoque habet ut reliqui *sustulere illi animos*, non *illis*.

III 67, 6 p. 42, 56 *nos plebeiorum* Veronensis cum codd. deterioribus, *hos plebeiorum* Nicomachiani incorrupti.

III 67, 10 p. 43, 27 *ecquando unam urbem habere, ecquando communem hanc esse patriam licebit?* Sic Nicomachiani; at prius colon *ecquando unam urbem habere* abest a Veronensi fortasse recte.

III 68, 7 p. 44, 47 *sequetur vos necessitas militandi quam fugitis* Veronensis cum edd., *sequitur* Nicomachiani.

IV 7, 3 p. 45, 14 *C. Curtius* cum requiratur, *c. curiatius* habent reliqui libri, *c. curatius* Veronensis. Haec sine dubio antiqua corruptela est, illa emendatio grammatici imperiti.

IV 7, 11. 12. p. 46, 21 *credo quod tribuni militum initio anni fuerunt, eo, perinde ac totum annum in imperio fuerint, suffectorum iis consulum praetermissa nomina. Licinius Macer auctor est etiam in foedere Ardeatino et in linteis libris ad Monetae ea inventa.* Sic fere crediderim constituendum locum graviter corruptum; Veronensis quomodo differat ab alterius familiae libris, supra proposuimus. *Perinde ac* magis Livianum esse videtur quam *perinde ac si* (cf. Hand. Tursell. 4, 460); illud Veronensis hoc loco habet, hoc libri vulgares.

IV 8, 2 p. 46, 54 *quae* (censura) *deinde tanto incremento aucta est, ut morum disciplinaeque Romanae penes eam regimen, senatus equitumque centuriis decoris dedecorisque discrimen sub dicione eius magistratus, eius publicorum ius privatorumque locorum, vectigalia populi Romani sub nutu atque arbitrio essent.* Tribus his commatis apte comprehenduntur tres partes officii censorii, civium recensus, senatus equitumque Romanorum ordinatio, vectigalium locatio. Recte igitur ut solet Madvigius emend. p. 92 defendit codicum scripturam iam Veronensi quoque libro confirmatam *centuriis* pro eo quod substituunt plerique recentiores *centuriae*; in eo opinor erravit quod pro *senatus* proposuit *in senatu.* Nam *senatus decoris dedecorisque discrimen* cum genetivo duplici per se offensionem nullam habet; deinde vero quod auctor a genetivo, nempe priore, ad ablativum deflexit, fecit ratione; nam equites simpliciter nominare non potuit, cum censoria constitutio non ad eos in universum pertineat, sed ad solos centuriatos, *equitum centuriarum decoris dedecorisque discrimen* dicere noluit, ne triplicis genetivi cumulatione oratio obscuraretur. In principio tertii commatis addidi *eius* in Veronensi libri corruptum in *ius*, in reliquis omissum nec

tamen omittendum; nam ut supra dixit *penes eam regimen*, *sub dicione eius magistratus*, ita hic quoque *eius . . . sub nutu atque arbitrio* requiritur nec recte procedunt extrema nude posita. Accedit quod tertium comma, ne qui legit offendat, ita constituendum erat, ut agi hic de uno tantum negotio licet bifariam expresso statim intellegeretur. Nam sua vi ac potestate ius publicorum privatorumque locorum censori non recte tribuitur, sed ita ei in hos ius est, ut non potest non esse magistratui vectigalia locorum publicorum ordinanti et propterea fines quoque regenti quodammodo inter publicum privatumque.

IV 9, 12 p. 47, 6 *duce Aequo Cluilio* editiones recte; *ciuilio* Veronensis, *ciuili* libri vulgares. Hic quoque apparet in illo proponi antiquam corruptelam, in his grammatici cuiusdam infelicem emendationem. E contrario IV 10, 7 pro *Cluilio duce* in libris vulgaribus est *ciuilio duce*, in Veronensi visum est esse *ciuili duce*.

IV 11, 7 p. 49, 58 *qui ... vexationes ... remanendo in colonia ... vitaverunt.* Sic Veronensis omissis verbis, quae ante *remanendo* inserunt libri vulgares, *coloni adscripti*; quae etsi adhuc in suspicionem non venerunt, iam admoniti ab antiquissimo libro omnino eiciemus.

IV 12, 9 p. 51, 12 *qui cum ... nullum momentum annonae fecisset.* Sic editionis accedente iam Veronensi libro; *ut* ante *nullum* addunt libri vulgares.

IV 12, 10, p. 51, 16 quod nunc legitur *profiteri cogendo frumentum et vendere, quod usui menstruo superesset* etsi offensionem nullam habet, tamen quod est in Veronensi *ut venderet* erunt fortasse qui ita tueantur, ut primitiva lectio fuerit *ut venderent*, corrupta in Veronensi libro, coniectura emendata in Nicomachianis. Nam quamquam homines publice cogendi erant non tantum ad professionem, sed multo magis ad venditionem, causativam particulam recte ita accipiemus, ut sub hoc modo professiones fieri iuberentur.

IV 13, 4 p. 51, 52 *haud dubium consulatum plebe ei favore ac spe* (*sipe* Veron.) *despondente ipse . . . ad altiora et non concessa tendere et, quoniam consulatus quoque eripiendus invitis patribus esset, de regno agitare.* Sic fortasse verba haec scribenda sunt ita tradita, ut pro *plebe ei* Veronensis det *plebeio*, Leidensis *ei*, omittant ea Mediceus Parisinusque, deinde *despondente* sit in Veronensi, *despondentem* in reliquis. Nam hoc qui

retinent videant ne *ipse* quod sequitur non habeat cui satis respondeat, cum lectione ad Veronensem formata recte opponantur consulatus et regnum. Ceterum qui hoc probabit, hunc locum addat necesse est iis, ubi deterius in universum Nicomachianorum librorum genus meliori praestat.

IV 13, 4 p. 52, 3 *id unum dignum tanto apparatu consiliorum et certamine quod ingens exsudandum esset praemium fore.* Sic Veronensis stabiliens coniecturam a philologis hominibus, qui quidem sani iudicii essent, dudum receptam, nam libri vulgares scribunt *certaminum.*

IV 13, 8 p. 52, 34 *rem conpertam ad senatum defert* Veronensis optime, cum Nicomachiani legant *refert.* Illam lectionem postquam idoneum auctorem nacta est non erit opinor quin probet. Praeivit Madvigius apud Ussingium p. XXII: 'probabiliter editio Curionis *defert*'.

IV 13, 12 p. 53, 21 *se dictatorem L. Quinctium dicturum: animum parem tantae potestati esse.* Ante animum quod inserunt libri reliqui *ibi* abest a Veronensi, recte fortasse.

IV 14, 6 p. 54, 27 *haec eum vociferantem adsecutus Ahala Servilius obtruncat respersusque cruore . . . dictatori renuntiat.* Quod addunt libri Nicomachiani *obtruncati* post *cruore*, eleganter Veronensis omittit.

IV 17, 1 p. 55, 14 *Fidenae . . . ad Lartem Tolumnium Veientium regem defecere.* Quod post *regem* addunt Nicomachiani *et Veientes*, eo libenter carebimus.

IV 17, 2 p. 55, 20 Inter legatos a Fidenatibus interfectos qui nominatur *Spurius Nautius* Plinio h. n. 34, 6, 23, apud Ciceronem (Philipp. 9, 2, 5) dicitur *Sp. Antius* (*et spurantio* Vat.) itemque apud Livium hoc loco testibus Nicomachianis. At quod in Veronensi legitur *Spuantium . . . interfecerunt,* cum eiusmodi codicis librarium vix credibile sit Spurii praenomen tribus primis litteris expressisse perverse, haud scio an ducat ad ipsam nominis formam Plinianam, ut metathesi elementorum *Uantius* evaserit qni esse debebat *Nautius.* Certe veram esse illam constat, non tam quod Nautiorum gens clarior longe et vetustior est Antia, quam quod Spurii praenomen proprium est Nautiorum. Qui autem factum sit, ut similis corruptela insederit tam in Livii recensione Nicomachiana quam in Ciceronianis libris quos habemus, num liceat cogitare de interpolatione scholastica in utrumque scriptorem pariter grassata, definient qui aliquando data opera de ea re quaerent.

IV 17, 3 p. 55, 24 *levant regis facinus.* Recte opinor omittit Veronensis quod ante *regis* collocant reliqui codices *quidam*; neque enim diversas relationes hic referre videtur Livius, sed causam facinoris ab auctore relatam reicere aliam ex coniectura substituens probabiliorem.

IV 21, 6 p. 57, 26 *ut non modo praedandi causa quisquam ex agro Romano exiret.* Negationem ante *exiret* repetitam in libris vulgaribus omittit Veronensis probantibus Madvigio et Ussingio (cf. ed. eorum vol. I p. XXII vol. II p. IV).

IV 21, 7 p. 57, 30 *qui se primo aut montibus aut muris tenuerant.* Quod post *primo* plus habent libri praeter Veronensem omnes *aut oppido*, id delendum esse iam fere consentiunt viri docti, postquam abesse a Veronensi Zumptius indicavit; antea ex coniectura sustulerat Madvigius.

IV 23, 3 p. 59, 11 *Licinio libros . . . sequi linteos placuit: Tubero incertus veri est.* Sic Veronensis; *placet et tubero* libri Nicomachiani; *placet Tubero* hodie legitur ex emendatione Mureti. In iis quae sequuntur: *sed inter cetera vetustate conperta hoc quoque in incerto positum* cum iam Veronensis cum Mediceo consensus patefecerit ab hac lectione proficiscendum esse, *incomperta* autem, quod habent Nicomachiani reliqui, venire ab emendatore, haud scio an scribendum sit emendatione et faciliore et ni fallor elegantiore *vetustate cooperta.*

IV 24, 7 p. 60, 34 *deposito suo magistratu, inposito fine alteri cum gratulatione ac favore ingenti populi domum est reductus.* Sic optime Veronensis eiectis verbis, quae post *magistratu* reliquis libris inhaeserunt *modo aliorum magistratui,* confirmans emendationem Madvigianam, nisi quod iam intellegitur non posterius, ut voluit Madvigius, comma delendum esse, sed prius.

IV 25, 1 p. 61, 3 *tribuni plebi adsiduis contentionibus prohibendo consularia comitia, cum res prope ad interregnum perducta esset, evicere.* Ubi *contentionibus* in Veronensi, *contionibus* legitur in reliquis; illud praetulerim, cum tribuni plebis ubi praeterea comitia impediunt, non soleant id facere per circuitum contione advocata, sed directo per intercessionem.

IV 25, 4 p. 61, 28 *famem quoque ex pestilentia, morbo inplicitis cultoribus agrorum, timentes in Etruriam ....frumenti causa misere.* Quae diductis litteris expressimus omissa in reliquis libris nunc demum supplentur ex Veronensi.

IV 26, 2 p. 62, 56 *Poenos* dictos fuisse Quinctios Cincinnatos, non *Pennos* iam efficitur ex codice Veronensi, in quo talia permutari non solent. Confirmant idem plerisque locis reliqui libri Liviani in genere secundo optimi, item laterculi fastorum locis longe plerisque (cf. C. I. L. I p. 496 ad a. 323; p. 498. 499 ad a. 326; p. 510. 511 ad a. 403), cum in Capitolinis fastis cognomen integrum nusquam supersit. Neque impediunt *Iunii Penni* quamquam per se satis certi, quominus fuerint *Quinctii Poeni.*

IV 26, 5 p. 63, 14 *senatui dictatorem dici placuit, quia etsi saepe victi populi maiore tamen conatu quam alias umquam rebellarant.* Hoc quod proposuit Sigonius pro tradita lectione *rebellarent* confirmat liber palimpsestus.

IV 26, 12 p. 64, 20 *dilectus simul edicitur et iustitium neque aliud tota urbe agi quam bellum apparari, cognitio vacantium militiae munere post bellum differri.* Sic Veronensis, addens *dilectus* vocabulum, quod ex reliquis excidit propter id quod praecedit *dictus*, et *differri* substituens pro eo quod ibi est *differtur.*

IV 33, 10 p. 65, 14 *et equitem passim . . . distulissent equi.* Coniecturam Gronovii (nam libri vulgares *dispulissent*) confirmat Veronensis.

IV 34, 4 p. 66, 2 *singulis captivis ab equite ac centurione sorte ductis.* Sic scribi iussit Madvigius pro eo quod traditum est in libris Nicomachianis *ab equite ad centurionem.* Veronensis paulo propius abest a vera lectione legens *ab equi*[*te ad*] *centurionis*; neque enim dubium est ab *s* vocabuli proxime sequentis male geminato errorem orsum deinde eo crevisse, quod emendator pluralem *centuriones* ad praecedentem singularem reformarit.

IV 34, 5 p. 66, 12 *ipse deinde abdicavit* Veronensis, *abdicat* reliqui; illud commendat quod praecedit *exercitum Romam reduxit.*

IV 54, 3 p. 69, 1 *C. Appius* quaestor plebeius tertio loco creatus dicitur in Veronensi, *P. Pipius* in Nicomachianis libris, unde *P. Pupius* legitur vulgo. In re incerta illa lectio retinenda erit, cum Appiam gentem nisi aetate liberae rei publicae, certe saeculo p. Chr. primo constet fuisse inter senatorias.

IV 54, 4 p. 69, 9 *hi* male intrusum post *creatos*, deletum autem in editione Frobeniana recte omittit Veronensis.

IV 54, 5 p. 69, 14 *si ne in quaestoriis quidem comitiis ... satis animi*

populo esset ad id quod tam diu vellet. Sic Veronensis; *in* omittunt scribuntque *vellent* reliqui.

IV 55, 3 p. 70, 21 *uni contionibus data nunc retinenda, nunc concienda plebs.* In vulgaribus est *detinenda*, in Veronensi *deretinenda*; videtur antiqua dittographia a diasceuasta non recte emendata.

IV 56, 5 p. 71, 46: *eorum legatos utriusque gentis populos circuisse castigantes ignaviam.* Sic Veronensis cum editione Frobeniana expulsa particula *que*, quae post *castigantes* reliquis libris insidet.

IV 56, 6 p. 71, 58 *nec ipsos modo Romanos sua divisui habere, sed Ferentinum etiam de se captum Hernicis donasse.* Quod commendavit exemplis allatis Io. Fr. Gronovius *divisui*, ei ita patrocinatur liber antiquissimus, ut eius loco proponat *diuis*, unde *divisa*, quod tenent reliqui, effectum videri potest emendatione.

IV 56, 12 p. 72, 36 *si quando promiscui honores communicata re publica essent* videtur scribendum esse, cum *rep. esset* sit in Veronensi Leidensique, *resp. esset* in Florentino Parisinoque.

IV 56, 13 p. 72, 42 *interim patricii soluti legum magistratuumque vi atque verecundia per se potestatemque tribuniciam agerent.* Sic iam haec leguntur legebanturve in Veronensi, ex quo accedunt nunc demum verba *vi a*[*tque*] apte, cum vis propria sit legum, verecundia magistratuum. Deinde quod in eo legitur *potestatem quae tribuniciam*, cum in reliquis libris sit *quoque tribuniciam potestatem*, praeclaram huius loci interpretationem Madvigianam confirmat.

IV 58, 4 p. 74, 60 *quia summa vi restari nuntiabatur* scripserim, cum in Veronensi sit *restari nuntiabantur*, in reliquis libris *restare nuntiabantur*.

IV 58, 13 p. 76, 1 *quid super sanguinis, quod dari pro re publica posset.* In Veronensi libro quod est *quod* vulgatae lectioni *qui* videtur praestare.

V 3, 2 p. 77, 55 *si umquam dubitatum est, Quirites.* Sic editores dudum restituerunt, cum libri pro eo quod est *Quirites* alii *quis* aut *quin* proponant, alii id omittant. In Veronensi quod est *qui* non verum est, sed antiqua corruptela, unde errores illi manarunt.

V 3, 7 p. 78, 34 Veronensis non habet quod reperitur in Nicomachianis comma *nisi forte hoc dicitis*, quod apte omitti pauci opinor negabunt.

V 4, 1 p. 79, 9 *hoc consilium collegarum meorum, quod abducere infecta re a Veis exercitum noluerunt.* Ubi Veronensis *quod*, reliqui habent *quo*.

V 4, 2 p. 79, 22 *si mihi ipsi nihil quod dicerem in mentem venire posset* Veronensis, confirmans iudicium grammaticorum eorum, quorum in crisi huius auctoris ratio haberi debet, librorum alterius ordinis *ipse* pro *ipsi* nullo modo posse defendi.

V 4, 5 p. 79, 45 *moleste antea ferebat miles .... gaudebat inde .... gaudet nunc ... aequo igitur animo patiatur ...* Ubi *inde* est in Veronensi, *idem* proponunt reliqui libri; sed et argutius illud est, cum hoc ipsum demonstratum eat orator molestiam illam causam esse gaudii illius ut gaudium hoc molestiae huius, et melius sic sibi respondent quae opponuntur. Ibidem quod sequitur *ab domo ac re familiari ... abesse* puto item praeferendum lectioni reliquorum librorum *ab re familiari*, nam anastrophe hoc quidem loco rationem non habet. Denique paulo post cum legitur: *si ad calculos etiam res publica vocet*, ubi pro *etiam* in ceteris codicibus *eum* est, oratio gravior redditur concinniorque.

V 4, 8 p. 80, 9: *sic ... agere debent, qui mercennario milite utuntur: nos tamquam cum patria agi nobiscum aequum censemus.* Sic Veronensis, cum reliqui libri secundum enuntiatum ita amplificent: *nos tamquam cum civibus agere volumus agique tamquam cum patria nobiscum aequum censemus.* Cum propter infinitivum *agi* diverso loco positum non possit cogitari de mera omissione librarii incuria commissa, magnopere vereor, ne haec lectio interpolata sit. Nam commendatur Veronensis eo, quod ne in opposito quidem enuntiato partitio ulla est; denique gravitas orationis non augetur repetitione si quid video inani.

V 5, 4 p. 81, 24 *illud quod proprie ad milites pertinet, quibus boni tribuni plebis stipendium extorquere voluerunt, nunc consultum repente volunt, quale est?* Sic optime Veronensis deleta particula *cum* inserta in secundi ordinis libris ante *stipendium*, a Madvigio post alios mutata in *tum*. Paulo post v. 29 in Veronensi est *vallum fossamque, ingentis utramque rem operis*, ubi *utrumque rem* libri reliqui, *utrumque* deleto substantivo Madvigius dubitans.

V 5, 7 p. 81, 44 *cum tantum laboris exhaustum sit et ad finem iam operis tandem perventum, relinquendane haec censetis, ut ad aestatem rursum novus de integro his instituendis exsudetur labor, an instare ac perseverare*

defungique cura brevi? Brevis enim et quae sequuntur. Sic haec videntur esse ordinanda secundum Veronensem, in quo quamquam non omnia legi potuerunt, tamen satis constat numquam fuisse enuntiatum *quanto est minus opera tueri facta*, quod in reliquis libris post *labor* vocabulum ita inseritur, ut pro *an* detur *et*. Deinde *brevi* ante *brevis* quod proposuerunt viri docti omissum in ceteris libris non adest quidem in Veronensi, sed videtur requiri spatiis v. 54. Mox quod dudum revocaverunt viri docti *uno tenore* pro tradita lectione *uno tempore*, ei calculum iam adicit Veronensis. Contra quod sequitur: *curne ipsi .... lentiorem spem nostram facimus?* admodum dubium est, cum non soleant particulae istae copulari, ut tutius subsistere videamur in lectione familiae alterius *nec ipsi*.

V 6, 2 p. 82, 60: *sicut aestivas aves statim autumno tecta ac recessus circumspicere* Veronensis; reliqui habent *recessum* minus proprie, cum recessus ipsae sint latebrae.

V 6, 15 p. 84, 51 *adeo quidquid tr. pl. loquitur etsi prodendae patriae .... est adsuestis audire* videtur fuisse in Veronensi omisso *qui* quod inserunt reliqui libri post *adsuestis*, mutatum ab aliis in *aequi*, ab aliis in *quieti*; sed *audire* nude positum sufficit. Fieri potest ut *qui* corruptum sit ex *Quirites* ut supra p. 77, 55.

V 7, 8 p. 86, 9 *tum vero superfundenti se laetitiae vix temperatum est* Veronensis omissa post *uero* particula *iam*.

V 7, 11 p. 86, 32: *certatim patribus plebeique manare gaudio lacrimae. Deinde revocatis in curiam patribus senatus consultum factum est.* Sic Veronensis, cum in reliquis pro *deinde* sit *donec*; at lacrimas manasse, donec senatus consultum fieret, indignum est scriptore gravi neque inepto.

V 7, 13 p. 86, 50 *tum primum equis suis merere equites coeperunt.* Vera haec scriptura in reliquis libris obscurata, dudum vero ex epitome recuperata in Veronensi mansit intacta.

V 8, 3 p. 87, 19 *minus militum periit, quia praeter aegros lixarum in modum omnes negotiabantur.* Quae verba inserunt post *omnes* libri vulgares *per agros vicinasque urbes*, ea ab Livio aliena esse intellegitur ex Veronensi.

V 8, 11 p. 88, 28 *ne opem ab inimico videretur petisse* Veronensis omisso ante *opem* vocabulo *quam*.

V 24, 8 p. 90, 40 *ceterum partem plebis, partem senatus habitando*

destinabant Veios duasque urbes communi re publica incoli a populo Romano posse. Sic haec constituenda existimo, cum in Veronensi repertum sit *partim plebs, partim senatus,* in reliquis libris *partem plebi, partem senatus*; quod ipsum posset defendi, si liceret *plebi* habere pro genetivo (v. supra p. 168). Deinde *habitando destinabant Veios* Veronensis, *destinabant habitandos Veios* ceteri. Mox *communi re* Veronensis, *communes rei p.* reliqui.

V 27, 11 p. 91, 44 *fides Romana, iustitia imperatoris in foro, in curia celebrantur.* Veronensis *in curia celebratur,* reliqui *et curia celebrantur.*

V 28, 1 p. 92, 4 *taciti eius verecundiam non tulit senatus* Veronensis Gronovii coniecturam confirmans Madvigio probatam; nam libri reliqui *tacite.*

V 31, 5 p. 93, 54 *propter famem pestilentiamque in agro Romano ex siccitate caloribus nimiis ortam.* Recte opinor pro *caloribusque* vocabulo simplex *caloribus* substituit Veronensis.

V 31. 32 p. 93, 60. 94, 39. 54. 57 *Salpinates* qui dici solent in editionibus, in Veronensi appellantur p. 93, 60 *Sapienates,* p. 94, 57 *Sa*pinates*; reliqui libri habeant *sappinates, salpinates, salppinates, sal sappinates,* ut appareat in archetypo eorum fuisse *sal sappinates* (cf. p. 178). Itaque restituenda est antiqua forma *Sappinates,* quam Nicomachiani expulerunt. Tribus tamen Sappinia Umbriae (Liv. 31, 2, 6. 33, 37, 1) cum Sappinatibus his non recte componetur; illam enim satis constat fuisse ad fluvium Sapim prope Sassinam Gallis Boiis conterminam, cum Sappinates hi quaerendi sint prope Volsinienses, quibuscum iunguntur.

V 31, 5 p. 94, 2 *agros incursavere* Veronensis, *agros Romanos* reliqui.

V 32, 2 p. 94, 37 *Volsinienses provincia evenit* Veronensis (nisi quod *Volsienses* ibi videtur fuisse), ut restituit Madvigius; *Vulsiniensis* reliqui libri.

V 32, 3 p. 94, 45 *fusa primo concursu acies: in fugam versa milia octo armatorum ..... in deditionem venerunt.* Veronensis *in fugam versa,* reliqui *in fugam,* unde *in fuga* fecit Madvigius.[1])

---

[1]) Quamquam ad Veronensem id non pertinet, tamen licebit monere c. 33, 8 male neglegi traditam lectionem *accitis domum tribulibus clientibus, quae magna pars plebis erat* inserta post *tribulibus* copula. Nam clientium, nempe libertinorum et inde oriundorum, hac quidem aetate tribus ea ipsa fuerit necesse est, in qua censeretur patronus, et ut Ap. Claudium narrant cum clientibus considentem in agro Romano Claudiam tribum constituisse, ita hic quoque clientes Furiae domus iidem sunt tribules nec recte his opponuntur.

V 33, 3 p. 96, 8 *ira corruptae uxoris ab Lucumone, cui tutor ipse fuerat* Veronensis simplicius quam quod est in reliquis *cui tutor is fuerat ipse.*

V 39, 7 p. 97, 12 *deinde sub occasum solis, quia haud multum diei supererat, ante noctem rati invasuros* Veronensis expulso ante *invasuros* vocabulo *se*, quo sententia obscuratur.

V 39, 11 p. 97, 41 *sacerdotesque et Vestales sacra publica .... auferre nec ante deseri cultum deorum, quam non superessent qui colerent.* Cum in libris vulgaribus legatur *flaminem sacerdotesque Vestales,* iure Madvigius monuit pro *flaminem* expectari *flamines.* Iam cum sit in Veronensi *flaminem sacerdotesque et Vestales*, patefactum est illud vocabulum eiciendum esse huic loco illatum ex sequentibus. Deinde quod est in Veronensi *deorum*, non *eorum*, gravitatem orationis adauget.

V 39, 12 p. 97, 53 *si arx .... superfuisset, facilem iacturam esse seniorum ... turbae.* Quod num praeferendum sit vulgatae lectioni *superfuerit,* videant grammatici.

V 40, 8 p. 99, 16 *cetera inter eos onere partito feruntur via quae* cet. Sic libri, nisi quod quod pro *eos* Veronensis *es*, reliqui *se;* editiones hoc retinentes *feruntur* mutarunt in *ferunt.* Patet hoc loco vetustam corruptelam servatam esse in Veronensi imperfecte emendatam in diasceuasi Nicomachiana. Item paulo post v. 21 recte opinor *de plebe homo* legitur in Veronensi omisso quod addunt alii *Romana.*

V 40, 10 p. 99, 29 *religiosum ratus,* quod restituit Vaassenus probavitque Weissenbornius, iam tuetur Veronensis liber, nam reliqui *inreligiosum* Christiane magis quam Latine.

V 41, 1 p. 99, 41 *turba seniorum domos regressi adventum hostium .... expectabant* Veronensis, *regressa .... expectabat* reliqui, quod facile oriri potuit ex emendatione.

V 41, 3 p. 99, 55 *M. Folio pontifice maximo* Veronensis adstipulante quadamtenus Mediceo libro, in quo est *m. filio*; contra *M. Fabio* reliqui omnes adstipulante Plutarcho Camill. 21 ἐξηγουμένου Φαβίου τοῦ ἀρχιέρεως. Nullus dubito, quin hoc quoque loco gentis patriciae, sed parum notae Fosliae sive Foliae nomen male abierit in vulgatum et in narratione maxime Gallicae obsidionis celebratum Fabiorum, neque ex consensu deteriorum librorum Livii et compilatoris Graeci quicquam efficitur praeter erroris

proclivitatem. Intellegitur opinor M. Folius tr. mil. a. 321. Cf. quae dixi *röm. Forsch.* 1, 114.

V 43, 4 p. 101, 3 *per eos ipsos dies* Veronensis, quod praeceperat Gronovius; a libris reliquis reliquis abest *eos*.

V 44, 1 p. 101, 3 *Ardeates .. veteres amici, novi etiam cives mei, quando et vestrum beneficium ita tulit et fortuna hoc egit mea.* Id quod est *hoc egit* ferri non posse intellexit Madvigius, commendans pro eo *coegit*: in Veronensi tamen nec hoc fuit neque illud, sed verbum aliquod, cuius ultima syllaba plena esset *it*, puto *voluit*.

V 44, 7 p. 102, 36 *prima vigilia capite arma frequentesque me sequimini* Veronensis probantibus Zumptio p. 29 et Madvigio in ed. vol. II p. IV; *que* abest a reliquis non recte, nam frequentia aptius ad sequendum refertur quam ad armandum.

V 45, 3 p. 103, 12 *excursione ab oppidanis facta* Veronensis, *incursione ab oppidanis in palatos facta* Nicomachiani; utrum praeferas, ambigi potest, quamquam illud malim, cum incursionis vocabulum mox redeat apud Livium.

V 45, 4 p. 103, 45 *plenique praedae Veios etiam praesidiumque, spem ultimam Romani nominis, in animo habuerint oppugnare.* Veronensis *et* cum omittit ante *spem*, verum videtur servasse; nam clarius ita separantur urbs militesque qui oppugnarentur ab iis quae addit auctor ad eius oppugnationis momentum declarandum.

V 46, 2 p. 104, 17 *Gabino cinctu sacra manibus gerens* Veronensis ut debuit esse ediditque Madvigius; *cinctus* reliqui.

V 50, 2 p. 106, 36 *senatus consultum facit, fana omnia, quoad ea hostis possedisset, restituerentur expiarenturque.* Sic haec videntur constituenda. Nam *quod* quamquam habent libri omnes, tamen rei contrarium est; Capitolina enim fana Galli non invaserunt. Deinde *terminarentur* quod inserunt secundi ordinis libri post *restituerentur*, crediderim referendum inter interpolationes Nicomachianas; nam proprie terminatio pertinet ad fani institutionem potius quam ad restitutionem, et ut admittas terminare etiam eum qui terminos oblitteratos incendio vel vetustate restituit, tamen eiusmodi terminos vix crediderim intra pomerium stetisse.

V 50, 5 p. 107, 5 *in nova via Aio Locutio* legendum esse dudum intellectum est, cum in libris ex secundo genere optimis *uia aio* abierit

in *ia* uel *tin*; diversa corruptela Veronensis *in noua uia aut alio loco.* Similiter c. 52, 11 pro *Aio Locutio* libri vulgares legunt *allocutio* (Leid.) vel *locutio* (Med. Par.), Veronensis autem *apatulocutio.*

V 50, 6 p. 107, 11 *cum quo referri oporteret confusa memoria esset* Veronensis; *in quae* (templa) quod habent reliqui pro *quo*, videtur ortum ex interpretatione.

V 51, 3 p. 108, 12: *cum victoribus Gallis .... Capitolium tamen atque arcem diique et homines Romani tenuerint et habitaverint, victoribus Romanis ... arx quoque et Capitolium deseretur et plus vastitatis huic urbs secunda nostra fortuna faciet* et quae sequuntur. Supplet Veronensis quam recte desideraverunt viri docti *et* copulam ante *habitaverint*, quod vocabulum qui delent, videant ne accurate opposita sibi pessumdent, nempe tenendi deserendique vocabula et habitandi vastitatisque faciendae.

V 52, 12 p. 109, 23 *si una cum Gallis urbem Romanam relicturi fuimus, si non voluntate mansimus in Capitolio ... sed ab hostibus metu retenti sumus.* Quae Veronensis libri scriptura magis placet quam quod pro *sed* est in reliquis *si*, nam duo enuntiata extrema particulatim sibi respondent.

V 52, 13 p. 109, 33 *una illa sedes est, ex qua eas nihil umquam praeterquam urbs capta movit.* Lectioni huic deteriorum librorum nunc suffragatur antiquissimus omnium; pro *eas* Leidensis similesque habent *fas*, omittunt id Mediceus et Parisinus.

V 53, 3 p. 110, 31 *etiamsi tum migrandum fuisset incolumi urbe, nunc has ruinas relinquendas non censerem.* Libri praeter Veronensem *incolumi tota urbe*: at in eiusmodi admonitione excipere arcem urbis non exustam interpolatoris magis est quam Livii.

V 55, 1 p. 111, 1 *movisse Camillus ... oratione ... dicitur* Veronensis omisso vocabulo *eos*, quod inventum in libris aliis post *movisse* non habere, quo recte referatur, dudum Madvigius monuerat. Delevit Weissenbornius ex auctoritate libri Veronensis eodemque iam inclinat Madvigius (cf. ed. vol. II p. IV).

VI 1, 8 p. 113, 32 *is tribunos militum proconsulari potestate creat* cum et in Veronensi sit et in Leidensi, ab auctoritate magis defenditur quam quod est in Mediceo Parisinoque *consulari potestate* emendationem referens. Proprie magis consularem potestatem tribunis tribui quam pro-

consularem etsi nemo ignorat, tamen hoc nec re falsum est neque alienum ab sermone Liviano (cf. V, 2, 9, item IV, 7, 7 41, 10).

VI 1, 10 p. 113, 44 *foedera ac leges .... conquiri quae non compererent iusserunt.* Sic Veronenses simplicius certe quam quod proponunt editiones *quae compererent* factum ex lectione librorum Nicomachianorum *quae compararent.*

VI 2, 6. 7 p. 114, 58 *iustitio indicto dilectum iuniorum habuit, ita ut seniores quoque ..... centuriaret, et exercitum .... trifariam divisit.* Copulam supplevit Veronensis.

VI 2, 14 p. 116, 7 *victor ex Volscis in Aequos transiit.* Quod addunt libri praeter Veronensem *et ipsos bellum molientes* haud scio an adiecerit corrector, offensus eo quod antea Livius locutus est de motu solorum Volscorum.

VI 3, 9 p. 117, 29 *ni praecones ... parci inermibus iussissent nec praeter armatos quemquam violari. Inermibus* Veronensis, *inermi* reliqui.

VI 6, 7 p. 119, 20 *sibi destinatum id animo esse,* quod videtur esse in Veronensi, Liviano sermoni convenit (cf. IX, 16, 19. XXVIII 24, 3); *destinatum in animo esse,* quod habent reliqui, num ferri possit dubito.

VI 6, 8 p. 119, 37 *tam honoratorum collegarum obsequio.* Lectio haec hodie recepta vera videtur, cum in Veronensi sit *honorato,* in reliquis bonis libris *honoratum.*

VI 6, 13 p. 120, 3 *te, Q. Servili, altero exercitu .... ad urbem castra habere.* Ubi *ad urbem* Veronensis, *in urbe* scribunt reliqui, quod quam sit molestum vel potius ineptum, per se quivis intellegit. Sed eiusmodi mendum quis tollere ausus esset sine exemplo?

VI 6, 14 p. 120, 20 *quaeque alia belli tempora poscent* Veronensis, sicut scribi iusserunt Reizius et Madvigius; *belli alia* reliqui codices.

EMENDANDA ET ADDENDA.

p. 43 = 11, 25 *scr.* cum *pro* cum.

p. 51 *not.* 2 *scr.* qui · · · extodecimo.

p. 57 = 25, 4 *scr.* persecutis *pro* persecuts; *item in margine add.* numquam *VL*, nusquam *MP*.

p. 62 = 30, 22 *scr.* *que et pro que ei.*

p. 63 = 31, 36 *not. scr.* tem *pro* tam.

p. 65. 66 *in inscriptione scr.* q. XX *pro* q. XIX.

p. 68 = 36, 4 *scr.* equis *pro* equis.

p. 72 = 40, 14 τ *in* ετ *non est expuncta.*

p. 83 = 51, 12 *not. scr.* est] est ut *C*.

p. 86 = 54, 18 *not. scr.* et *om. C*.

p. 94 = 62, 47 *adde notam* nec] ne *MP*.

p. 95 = 63, 42 *ante* pl· *excidit* tr·

p. 107 = 75, 54 *not. scr.* agitet et *ML* (*non P*).

p. 110 = 78, 24 *nota marg. sic emendanda*: potestatis VMP^a, potestati P^bL‖uideren] ren *C*.

p. 110 = 78, 54 *pro* quando *scr.* quanto *deleta nota in margine.*

p. 112 = 80 *not.* 5 *scr.* nobilir et M^a, nobiliter M^b.

p. 113 = 81 *vereor ne meo errore inscriptionem folii recti adscripserim in verso.*

p. 136 = 104, 1 *scr.* Uictoria.

p. 150 = 118, 48 *not. scr.* in al *L*.

p. 152 = 120, 11 *not. scr.* itaque] *sic*, ita *C*.

p. 161 *not.* 3 *v.* 5 *pro* libro *scr.* liber.

ad p. 162 v. 24 '*In codice Veronensi Gaii in cuiusvis paginae versu primo praeter primam eminere solent litterae modo una modo duae vel tres ad arbitrium librarii delectae*'. STUDEMUND.

ad p. 163. '*Etiam in Frontonis libro Mediolanensi quae reperiuntur Graece adscripta, constat proficisci ab antiquario Latino*'. STUDEMUND.

p. 170 v. 25 *post* im *ins.* uel il.

p. 176 v. 7 *post* saeculi *ins.* undecimi.

T. LIVII
AB URBE CONDITA
LIB. XCI
QVAE SVPERSVNT IN CODICE VATICANO PALATINO.

Livianorum annalium libri XCI reliquias servatas in codice Vaticano Palatino n. 24, editas autem post Paulum Iacobum Bruns (fragmentum ex lib. XCI historiarum T. Livi. Hamburgi 1773. fol.) et Vitum Mariam Giovenazzium (Romae 1773, rep. curante Ernestio eodem anno Lipsiae 8.) codice recognito a Niebuhrio (M. Tullii Ciceronis orationum pro Fonteio et Rabirio fragmenta cet. Romae 1820 p. 85—97) cum propter summam utriusque libri similitudinem huius Veronensium schedarum exempli non inutilem accessionem fore intellexissem, petii ab amico Romae forte degente Paulo Kruegero iure consulto, quem eiusmodi negotio perficiendo et parem esse noram et paratum, ut librum excuteret tertium exemplumque pararet huiuscemodi editioni aptum. Quod ille libenter receptum impigre perfecit, non medicamentorum usu adiutus, a quo nescio quam ob causam intercluduntur plane qui Vaticanam bibliothecam explorant, sed oculorum acie intenta meisque de singulis locis quaestionibus et temptamentis, ut solet in eiusmodi negotio divinatio lectionem non tam subsequi quam praevertere. Ita quae eruimus, hic proponuntur adiecta lectione priorum[1]) eatenus, quatenus utilitatem habere visa est, scilicet ut quid praestiterimus hac iterata recognitione, facilius et certius deprehendatur.

Codicum Palatini et Veronensis summa similitudo cum appareat, tamen non ea est, ut cogitare possis de reliquiis utrisque ad idem integri corporis Liviani exemplum revocandis. Nam differunt inter alia litterae in principio eminentes eo, quod in Veronensi singularum paginarum prima

---

[1]) *H* est editio Hamburgensis, *R* Romana Giovenazzii, *N* Niebuhriana, *K* collatio Kruegeriana.

quaeque littera eminet, in Palatino in tribus chartis ex quattuor tantummodo prioris paginae littera prima. Deinde in vocabulis dirimendis cum in Veronensi deprehenderimus *ins|pexisse*, *ins|truxisse* (v. p. 164), in Palatino est 1, 55/6 *in|spectis*, 2, 4/5 *in|struxit*. Orthographia cum in Palatino in universum aut eadem sit aut paullo emendatior, tamen semper ibi scribitur *Ponpeius* 2, 56. 59. 3, 17. 44. Denique etiam formae litterarum differunt, quae in Palatino quadrata est etiam in litteris D et E[1]); item lineolae quae vices facit litterae M vel N punctum suppositum etsi non expressimus nisi ubi vel hodie certo apparet, tamen olim ubivis (excepto uno loco 2, 13) fuisse videri Kruegerus adnotavit. Simile punctum cernitur etiam in Gaio Veronensi et in digestis Florentinis.

---

[1]) Specimina quae dicuntur scripturae Livianae adiecta in editionibus Romana a. 1773 et inde repetita Lipsiensi cum a Livianis intellexissem aliena esse, interrogatus de ea re Kruegerus rescripsit pertinere ad scripturam posteriorem codicis ita, ut ordo is qui incipit cumas legatur f. 78′, alter incipiens addec f. 75′. Haec igitur addent qui volent collectaneis de incredibilibus philologorum. — Contra Niebuhrianum scripturae specimen in universum probum est et fidum.

I = cod. Vatic. Pal. 24 fol. 73 (= v. 1 — 11) + 78′ (= v. 13 — 30)

	lib·	xci	
	Tameninsequenti	adseadduciiussitfugi	
	ipsoperuigilantein	tiuosquorummaior	
	eodemlocoaliaexci	multitudoeratipsis	
	tataturrisprimalu	imperauitutinterfi	
	cemiraculohostib·	cerentiugulatosde	
	fuitsimuletoppidi	murodeieceruntcu̅·	
	turrisquaemaximu̅	magnaiacturamili	
	propugnaculumfue	tumquattuoretqua	
	ratsubrutisfunda	dragintadiebuscon	
	mentisdehiscerein	tebriaexpugnata	
‘tu̅ *paene certum*’ *K*, tu *HRN*	centibusrimisettu̅	relictoqueibi·l·insteio	
1)	? iui tumignicoe	ipseadhiberumflume̅	flumen] fluvium *errore N*
	pitincendiiq·simul	copiasreduxitibihiber	reduxit] *K* ‘*sic*’, adduxit *HRN*
	etruinaemetuter	naculissecundumop	
	riticontrebienses	pidumquodcastraae	
	demurotrepidirefu	liauocaturaedifica	
	geruntetutlegatimit	tisipseincastrisma	
	terenturaddedendā	nebatinterdiucon	*extr.* N *incerta K*
	urbemabuniuersa	uentumsociarumci	
	multitudineconcla	uitatiuminoppidoa	
	matumesteademuir	gebatarmautfieret N	
2)	tusquaeinritante̅·	procopiiscuiusq·popu	
	oppugnaueratuicto	lipertotamprouinci	
	remplacabiliorem	amedixeratquibusī	
	fecitobsidibusaccep	spectisreferreu̅etera	3)
	tispecuniaemodicā	armamilitesiussitquae	
	exegitsummamarma	autitineribuscrebris	
	queomniaademittrans	autoppu	
	ugasliberosuiuos		

1) ‘*prima versiculi littera* t *fuit aut* i *aut* p (*vix* s, *nullo modo* c); *secunda aut* o (*quod probabilius*) *aut* u; *sequuntur vestigia elementorum duorum incertorum plane, deinde post hiatum non minus sex litterarum* t *incerta certaeque litterae* umignicoe’ *K*, ius/////umignicoe *HR*, *corrept*umignicoe *N*, *quo spatium non satis expletur*

2) ‘quae *certum est*; *in fine versus potest fuisse* te *pro* te̅·, *quamquam hoc probabilius est*’ *K*

3) ‘uetera *potius quam* cetera’ *K*, cetera *HRN*: *illud coniectura restituit Weissenbornius*

II = cod. Vatic. Pal. 24 fol. 73′ (= v. 1 — 11) + 78 (= v. 12 — 30)

	tit̄i	liū̄i	
	Factaerantnouaq·	Quasq·inoppugnan	
p (*vix* b) e (*uel* i) riis *K*, beris *N*, mane *H*; *puto in cod. fuisse* periis, *quamquam puncta deletoria non potuit deprehendere Kruegerus*	periispercenturio	disurbibushostium	
	nesdiuisitequita	gessissetexposuitet	
	tumquoqnouisin	adreliquabellicohor	
	struxitarmisuesti	tatusestpaucisedoc	
	mentaquepraepara	tosquatumhispani	*sic*
	taantediuisaetstipe͂	aeprouinciaeinter	
1)	diumdatumfabrosc	essetsuaspartessu	
	curaconquisitos\n	periorese ssedimis	
	diqexciueratquibus	sodeindeconuentu	
'in *additum non satis certum est*' *K*	in officinapublicain	iussisquaeomnib·	
2)	clusis isit a		
	tioneinitaquidinsī	inciuitate te	inciuitate*sredi*?? *N*, *quod in codice esse potuisse negat K*, inciuitatesreuerte *spatiis vestigiisque conuenire rescripsit K*
3)	gulosdieseffici posset?	resuasprincipioue	
	Itaq·omniasimulinstru	ris·m·perpernam	
	mentabelliparaban	cumuigintimilib·	
	turnequemateriaar	peditumequitibus	
	tificibuspraeparatis	millequingentis	
'e *in* enixo *clare apparet*' *K*	anteomnibusenixo	inilurcaonumgen	ilurcaonum *HRK* '*sic*'
sic	ciuitiumstudionec	temmisitadtuenda͂·	
	suoquisqoperiarti	regioniseiusmari	
	fexdeerat conuoca	timamoramdatis	
	tisdeindeomniumpo	praeceptisquibusiti	
	pulorumlegationib·	neribusduceretad	
	etciuitatiumgrati	defendendassocias	
'im *potius quam* in' *K*	asegitquodquaeim	urbesquasponpeius	
4)	perataessentinpede	oppugnaretquib·	
	tre///ionep/aesti	queipsumagmen	
	quasipsires	ponpeiexinsidii	
		adgrederetur	*post* tur *spat. vacuum K*

1) '*post* fabros *litterae* c *vestigium videtur adesse potestque fuisse* cv͂' *K*; cum *coniectura addidit Madvigius.*

2) clusisopusdiuisitra, *quod proposui, et vestigiis et spatio recte convenire rescripsit K, nisi quod spatium inter* isit *et* a *paullo angustius est iusto.*

3) posset *H*, possit *RN*, '*aut* possit *aut* posset' *K*

4) *v.* 27. 28. 29 *omisit R*, 27. 28 *omisit H*: perata essent in [p]ede[s]tre[s copias prae]sti[tissent] quas ipse (quas ipse *etiam II*) res [in defendendis sociis] *N*: *supra leguntur quae excepit Kruegerus adnotans ad v.* 27 'pede *certum videtur esse neque* s *evanuisse, sed omissa esse*', *item ad v.* 28 '*non fuit* stre' *et ad v.* 29 'ipsi, *uix* ipse'. *Legendum puto*: quod quae imperata essent [sin]e detre[cta]tione p[r]aesti[tissent]. Quas ipsi res [fortiter fecissent].

T. LIVII
AB URBE CONDITA
LIB. XCI
RELIQUIAE.

* *

Nocte tamen insequenti ipso pervigilante in eodem loco alia excitata turris p. 1ª.
prima luce miraculo hostibus fuit. Simul et oppidi turris, quae maximum propugnaculum fuerat, subrutis fundamentis dehiscere ingentibus rimis et tum * * * * * * * * * * * * * * * * * o * * * * * * * * tum igni coepit, incendiique simul et ruinae metu territi Contrebienses de muro trepidi refugerunt et ut legati mitterentur ad dedendam urbem, ab universa multitudine conclamatum est. Eadem virtus, quae *oppugnantem inritaverat*, victorem placabiliorem fecit. Obsidibus acceptis pecuniae modicam exegit summam armaque omnia ademit. Trans*f*ugas liberos vivos||ad se adduci iussit, p. 1ᵇ.
fugitivos, quorum maior multitudo erat, ipsis imperavit ut iuterficerent. Iugulatos de muro deiecerunt.

Cum magna iactura militum quattuor et quadraginta diebus Contrebia expugnata relictoque ibi L. Insteio * * * * * * * * * * * * * * * * * ipse ad Hiberum flumen copias reduxit. Ibi hibernaculis secundum oppidum, quod Castra Aelia vocatur, aedificatis ipse in castris manebat, interdiu conventum sociarum civitatium in oppido agebat. Arma ut fierent pro copiis cuiusque populi per totam provinciam edixerat; quibus inspectis referre vetera arma milites iussit, quae aut itineribus crebris aut oppu*g*-*nationibus et proeliis inutilia*||facta erant, novaque *iis* per centuriones p. 2ª.
divisit; equitatum quoque novis instruxit armis; vestimentaque praeparata ante divisa et stipendium datum. Fabros *cum* cura conquisitos undique exciverat, quibus in officina publica inclusis *opus div*isit *r*atione inita, quid in singulos dies effici posset. Itaque omnia simul instrumenta belli parabantur; neque materia artificibus praeparatis ante omnibus enixo civi-

t*ati*um studio nec suo quisque operi artifex deerat. Convocatis deinde omnium populorum legationibus et civitatium gratias egit, quod quae inperata essent *sin*e detrec*ta*tione p*r*aesti*tissent*; quas ipsi res *fortiter*
p. 2ᵇ. *fecissent*||quasque in oppugnandis urbibus hostium gessisset, exposuit et ad reliqua belli cohortatus est paucis edoctos, qua*n*tum Hispaniae provinciae interesset suas partes superiores esse. Dimisso deinde conventu iussisque omnibus *bono animo esse atque* in civitate*s revert*ere suas principio veris M. Perpernam cum viginti milibus peditum, equitibus mille quingentis in Ilurcaonum gentem misit ad tuendam regionis eius maritimam oram, datis praeceptis, quibus itineribus duceret ad defendendas socias urbes, quas Pompeius oppugnaret quibusque ipsum agmen Pompei ex insidii*s* adgrederetur.

p. 3ᵃ. ||Eodem tempore et ad Herennuleium, qui in isdem locis erat, litteras misit et in alteram provinciam ad L. Hirtuleium, praecipiens, quem ad modum bellum administrari vellet: ante omnia, ut ita socias civitates tueretur, ne acie cum Metello dimicaret, cui nec auctoritate nec viribus par esset: ne ipsi quidem consilium esse ducere *ad*versus Pompeium iam. Neque in aciem descensurum eum credebat: si traheretur bellum, hosti, cum mare ab tergo provinciasque omnes in potestate haberet, navibus undique commeatus venturos; ipsi autem, consumptis priore aestate quae praeparata fuissent, omnium rerum inopiam fore. Perpernam in mariti-
p. 3ᵇ. mam||regionem superpositum, ut ea, quae integra adhuc ab hoste sint, tueri posset, et, si qua occasio detur, incautos per tempus adgressurum. Ipse cum suo exercitu in Berones et Autricones progredi statuit; a quibus saepe per hiemem, cum ab se oppugnarentur Celtiberiae urbes, inploratam esse opem Pompei conpererat missosque qui itinera exercitui Romano monstrarent et ab ipsorum equitibus vexatos saepe milites suos, quocumque a castris per oppugnationem Contrebiae pabulandi aut frumentandi causa *acces*sissent. Transitum quoque sibi per *A*rvacos in Car*pe*taniam in expedito fore, unde velut ex bello consilium se initurum,
p. 4ᵃ. utrum prius hostem, utram provinciam *petat*, ||maritimamne oram, ut Pompeium ab Ilercaonia et Contestania arceat, utraque socia gente, an ad Metellum et *L*usitaniam se convertat.

Haec secum agitans Sertorius praeter Hiberum amnem per pacatos agros quietum exercitum sine ullius noxa duxit. Profectus inde in

I = cod. Vatic. Pal. 24 fol. 73 (= v. 1 — 11) + 78′ (= v. 13 — 30)

	lib·	xci	
	Tameninsequenti	adseadduciiussitfugi	
	ipsoperuigilantein	tiuosquorummaior	
	eodemlocoaliaexci	multitudoeratipsis	
	tataturrisprimalu	imperauitutinterfi	
	cemiraculohostib·	cerentiugulatosde	
	fuitsimuletoppidi	murodeiecerunṭcu̅·	
	turrisquaemaximu̅	magnaiacturamili	
	propugnaculumfue	tumquattuoretqua	
	ratsubrutisfunda	dragintadiebuscon	
	mentisdehiscerein	R tebṛiaexpugnata	
'tū *paene certum' K*, tu *HRN*]	centibusrimisettü	relictoqueibi·l·insteio	
1)	? ioi tumignicoe	ipseadhiberumflume̅	flumen] fluvium *errore N*
	pitincendiiq·simul	copiasreduxitibihiber	reduxit] *K 'sic'*, adduxit *HRN*
	etruinaemetuter	naculissecundumop	
	riticontrebienses	pidumquodcastraae	
	demurotrepidirefu	liauocaturaedifica	
	geruntetutlegatimit	tisipseincastrisma	
	terenturaddedenda̅	nebatinterdiucon	*extr.* N *incerta K*
	urbemabuniuersa	uentumsociarumci	
	multitudineconcla	uitatiuminoppidoa	
	matumesteademuir	gebatarmautfieret N	
2)	tusquaeinritante̅·	procopiiscuiusq·popu	
	oppugnaueratuicto	lipertotamprouinci	
	remplacabiliorem	amedixeratquibusī	
	fecitobsidibusaccep	spectisreferreuetera ?	3)
	tispecuniaemodica̅	armamilitesiussitquae	
	exegitsummamarma	autitineribuscrebris	
	queomniaademittrans	autoppu	
	ugasliberosuiuos		

[1]) *'prima versiculi littera* t *fuit aut* i *aut* p (*vix* s, *nullo modo* c); *secunda aut* o (*quod probabilius*) *aut* u; *sequuntur vestigia elementarum duorum incertorum plane, deinde post hiatum non minus sex litterarum* t *incerta certaeque litterae* umignicoe' *K*, ius/////umignicoe *HR*, *corrept*umignicoe *N*, *quo spatium non satis expletur*

[2]) 'quae *certum est; in fine versus potest fuisse* te *pro* te̅·, *quamquam hoc probabilius est' K*

[3]) 'uetera *potius quam* cetera' *K*, cetera *HRN*: *illud coniectura restituit Weissenbornius*

II = cod. Vatic. Pal. 24 fol. 73′ (= v. 1 — 11) + 78 (= v. 12 — 30)

	tit̄i	liū̄i	
	Factaerantnouaq·	Quasq·inoppugnan	
p (*vix* b) e (*uel* i) riis *K*,	periispercenturio	disurbibushostium	
beris *N*, mane *H*;	nesdiuisitequita	gessissetexposuitet	
puto in cod. fuisse	tumquoq nouisin	adreliquabellicohor	'cohortatus est *hodie evanuit*' *K*
periis, *quamquam puncta deletoria non potuit deprehendere Kruegerus*	struxitarmisuesti	tatusestpaucisedoc	
	mentaquepraepara	tosquatumhispani	*sic*
	taantediuisaetstipē	aeprouinciaeinter	
1)	diumdatumfabrosc	essetsuaspartessu	
	curaconquisitos\n	periorese sse dimis	
	diqexciueratquibus	sodeindeconuentu	
'in *additum non satis certum est*' *K*	in officinapublicain	iussisquaeomnib·	
2)	clusis ? isit a		
	tioneinitaquidinsī	inciuitate te	inciuitate*sre*di ?? *N*, *quod in codice esse potuisse negat K*, inciuitatesreuerte *spatiis vestigiisque conuenire rescripsit K*
3)	gulosdiesefficiposset ?	resuasprincipioue	
	Itaq·omniasimulinstru	ris·m·perpernam	
	mentabelliparaban	cumuigintimilib·	
	turnequemateriaar	peditumequitibus	
	tificibuspraeparatis	millequingentis	
'e *in* enixo *clare apparet*' *K*	anteomnibusenixo	inilurcaonumgen	ilurcaonum *HRK* '*sic*'
sic	ciuitiumstudionec	temmisitadtuendā	
	suoquisqoperiarti	regioniseiusmari	
	fexdeeratconuoca	timamoramdatis	
	tisdeindeomniumpo	praeceptisquibusiti	
	pulorumlegationib·	neribusduceretad	
	etciuitatiumgrati	defendendassocias	
'im *potius quam* in' *K*	asegitquodquaeim	urbesquasponpeius	
4)	perataessentinpede	oppugnaretquib·	
	tre///hionep/aesti ? ?? ?	queipsumagmen	
	quasipsires	ponpeiexinsidii	
		adgrederetur	*post* tur *spat. vacuum K*

1) '*post* fabros *litterae* c *vestigium videtur adesse potestque fuisse* cv̄' *K*; cum *coniectura addidit Madvigius.*

2) clusisopusdiuisitra, *quod proposui, et vestigiis et spatio recte convenire rescripsit K, nisi quod spatium inter* isit *et* a *paullo angustius est iusto.* 3) posset *H*, possit *RN*, '*aut* possit *aut* posset' *K*

4) *v.* 27. 28. 29 *omisit R*, 27. 28 *omisit H*: perata essent in [p]ede[s]tre[s copias prae]sti[tissent] quas ipse (quas ipse *etiam H*) res [in defendendis sociis] *N*: *supra leguntur quae excepit Kruegerus adnotans ad v.* 27 'pede *certum videtur esse neque* s *evanuisse, sed omissa esse*', *item ad v.* 28 '*non fuit* stre' *et ad v.* 29 'ipsi, *uix* ipse'. *Legendum puto*: quod quae imperata essent [sin]e detre[cta]tione p[r]aesti[tissent]. Quas ipsi res [adhuc successissent].

III = cod. Vatic. Pal. 24 fol. 76 (= v. 1 — 12) + 75′ (= v. 13 — 30)

	lib·	xci	
	Eodemtemporeet	regionemsuperpositu·	'sic' K
	adberennuleium	uteaquaeinteqraad	
	quiinisdemlocise	bucabhostesinttue	
	ratlitterasmisitet	ripossetetsiquaocca	
	inalteramprouin	siodeturincautosper	
	ciamadl·birtuleiu·	tempusadqressurum	
	praecipiensquemad	ipsecumsuoexercitu	
	modumbellumadmi	inberonesetautrico	
	nistrariuelletante	n respro qredistatuit	
	omniautitasociasci	aquibussaepeperbie	
	uitatestuereturnea	memcumabseoppuq	
me *hodie non cernitur K*	ciecummetellodimi	narenturceltiberiae	celtiber*ae N*
	caretcuinecauctori	urbesinploratames	
	tatenecuiribuspares	seopemponpeiconper	*sic diremptum*
'ante ne *spatium vacuum' K*	set neipsiquidem	eratmissosq·quiitine	
	consiliumesseducere	raexercituiromano	
'ia· *uel* ta· *codex' K, om. HRN*	//uersusponpeium?ia·	monstrarentetabip	
	nequeinaciembesce·	sorumequitib·uexatos	
	surumeumcredebat	saepemilitessuosquo	
	sitrabereturbellu·	cumqueacastrisperop	
	bosticummareabter	pugnationemcontre	
	qoprouinciasq·omnes	biaepabulandiautfru	
	inpotestatebaberet	mentandicausa?/q?ie/	
	nauibusundiq·com	??? ??? sissenii ransitumquo	
	meatusuenturosipsi	q·sibiper/ruacosincar	
	autemconsumptisprio	//??? ? ?tania?/inex?pedito	
	reaestatequaeprae	? ? ? ? ? foreundeuelutexbello	
	paratafuissentomniu·	consiliumseinituru·	
	reruminopiamfore	utrumpriusbostemu	
	perpernaminmaritima·	tramprouinciam	

[1]) 53 *seq. sic secundis curis Krueger, haec adnotans ad u.* 53: '*post* causa *sequitur littera angusta* i e s (*si quidem littera ea est*), *deinde aut* q *aut* c *littera* (*non* o), *mox littera* b *aut* ii, *deinde* e *certa, denique angusta quaedam littera velut* s. *Cogitavimus de* eqres, *sed videtur subesse aliud quid*'. *Ad u.* 54: '*versus videtur incipere ab* sissent'. *Ad u.* 57: 'unde, *vix* inde'. *Lego*: pabulandi aut frumentandi causa [a]c[c]e[s]sissent. Transitum quoque sibi per [A]rvacos in Car[pe]taniam in expedito fore, unde velut ex bello consilium se initurum. *Niebuhrius* (*nam priores haec omiserunt*): pabulandi aut fru||mentandi causa pro||[grederentur]. Ausi tum quo||q[ue erant] Arvacos in [p]ar||t[es sollicitare]. Edito ||[igitur exemplo] belli ||consilium se initurum.

IV = cod. Vatic. Pal. 24 fol. 76′ (= v. 1 — 11) + 75 (= v. 12 — 30)

	titi	liui	
	Maritimamneoram	turconportandumprae	
'sic, non ilurca' K	utponpeiumabilerca	terquamurbemoppor	
	oniaetcontestania	tunissimusexbero	
	arceatutraq·sociaçẽ	nibustransituserat	
	teanadmetellumet	inquamcumquereçio	
[1])	rusitaniamseconuer	nemducereexercitũ·	
	tat baecsecumaçi	statuissetetc·inste	
	tanssertoriusprae	lumpraefectumequi	
	terbiberumamnem	tumseçouiametin	
	perpacatosaçosquie	uacaeiorumçentem	'sic uel uacaeeorum' K
	tumexercitumsine	adequitumconquisi	
	illiusnoxaduxitpro	tionemmisitiussũ·	[4])
	fectusindeinbursao	cumequitibusconTre	
[2])	numetcascantinorũ·	biaeseseopperiridi	'se/e hodie cernitur' K
	etçraccuritanorum	missisiisipseprofec	
	fineseuastatisomnib·	tusperuasconuma	
sic	proculcatisqueseçiti	çrumductoexerci	
'sic' K, calaçurim HRN	busadcalaçurrimna	tuinconfiniouero	[5])
	sicamsociorumurbẽ·	numposuitcastrapos	
	benittransçressus	terodiecumequitib·	
	q·amnempropinqum	praeçressusaditine	
	urbiponteFactocastra	raexplorandaiusso	
	posuit· posterodie·m·	peditequadratoaçmi	
[3])	mariumquaestorem	nesequiaduareiam	
	inaruacosetcerindo	ualidissimamreçio	
	nesmisitadconscri	niseiusurbemuenit	
	bendosexiiisçentib's	baudinopinantib·	
	militesfrumentum	iisbostisaduenerat	hostis] 'sic' K, noctu N
	queindecontrebiam	undiq·equitibuset	
	eleucadaappella	naeçentisetautrico	autric HRN

[1]) rusitaniam HRK 'sic', lusitaniam N [2]) 'sic' K, casuantinorũ HRN: *illud coniectura restituit Giovenazzius.* [3]) marium 'sic' K, masium HRN: *illud coniectura restituit Ernestius.*
[4]) 'tionemmisit *latet in plicatura*' K [5]) 'uero *uel* uiro, *non* bero' K

T. LIVII
AB URBE CONDITA
LIB. XCI
RELIQUIAE.

---

* p. 1ª.
Nocte tamen insequenti ipso pervigilante in eodem loco alia excitata turris prima luce miraculo hostibus fuit. Simul et oppidi turris, quae maximum propugnaculum fuerat, subrutis fundamentis dehiscere ingentibus rimis et tum * * * * * * * * * * * * * * * * * * o * * * * * * * * tum igni coepit, incendiique simul et ruinae metu territi Contrebienses de muro trepidi refugerunt et ut legati mitterentur ad dedendam urbem, ab universa multitudine conclamatum est. Eadem virtus, quae *oppugnantem inritaverat*, victorem placabiliorem fecit. Obsidibus acceptis pecuniae modicam exegit summam armaque omnia ademit. Trans*f*ugas liberos vivos || ad se adduci iussit, p. 1ᵇ.
fugitivos, quorum maior multitudo erat, ipsis imperavit ut iuterficerent. Iugulatos de muro deiecerunt.

Cum magna iactura militum quattuor et quadraginta diebus Contrebia expugnata relictoque ibi L. Insteio * * * * * * * * * * * * * * * * * ipse ad Hiberum flumen copias reduxit. Ibi hibernaculis secundum oppidum, quod Castra Aelia vocatur, aedificatis ipse in castris manebat, interdiu conventum sociarum civitatium in oppido agebat. Arma ut fierent pro copiis cuiusque populi per totam provinciam edixerat; quibus inspectis referre vetera arma milites iussit, quae aut itineribus crebris aut oppu*g-nationibus et proeliis inutilia* || facta erant, novaque *iis* per centuriones p. 2ª.
divisit; equitatum quoque novis instruxit armis; vestimentaque praeparata ante divisa et stipendium datum. Fabros *cum* cura conquisitos undique exciverat, quibus in officina publica inclusis *opus div*isit *r*atione inita, quid in singulos dies effici posset. Itaque omnia simul instrumenta belli parabantur; neque materia artificibus praeparatis ante omnibus enixo civi-

t*at*ium studio nec suo quisque operi artifex deerat. Convocatis deinde omnium populorum legationibus et civitatium gratias egit, quod quae inperata essent *sin*e detrec*ta*tione p*r*aesti*tissent*; quas ipsi res *adhuc*
p. 2ᵇ. *successissent*||quasque in oppugnandis urbibus hostium gessisset, exposuit et ad reliqua belli cohortatus est paucis edoctos, quantum Hispaniae provinciae interesset suas partes superiores esse. Dimisso deinde conventu iussisque omnibus *bono animo esse atque* in civitate*s reverte*re suas principio veris M. Perpernam cum viginti milibus peditum, equitibus mille quingentis in Ilurcaonum gentem misit ad tuendam regionis eius maritimam oram, datis praeceptis, quibus itineribus duceret ad defendendas socias urbes, quas Pompeius oppugnaret quibusque ipsum agmen Pompei ex insidii*s* adgrederetur.

p. 3ᵃ. ||Eodem tempore et ad Herennuleium, qui in isdem locis erat, litteras misit et in alteram provinciam ad L. Hirtuleium, praecipiens, quem ad modum bellum administrari vellet: ante omnia, ut ita socias civitates tueretur, ne acie cum Metello dimicaret, cui nec auctoritate nec viribus par esset: ne ipsi quidem consilium esse ducere *ad*versus Pompeium iam. Neque in aciem descensurum eum credebat: si traheretur bellum, hosti, cum mare ab tergo provinciasque omnes in potestate haberet, navibus undique commeatus venturos; ipsi autem, consumptis priore aestate quae praeparata fuissent, omnium rerum inopiam fore. Perpernam in mariti-
p. 3ᵇ. mam||regionem superpositum, ut ea, quae integra adhuc ab hoste sint, tueri posset et, si qua occasio detur, incautos per tempus adgressurum. Ipse cum suo exercitu in Berones et Autricones progredi statuit; a quibus saepe per hiemem, cum ab se oppugnarentur Celtiberiae urbes, inploratam esse opem Pompei conpererat missosque qui itinera exercitui Romano monstrarent et ab ipsorum equitibus vexatos saepe milites suos, quocumque a castris per oppugnationem Contrebiae pabulandi aut frumentandi causa *acces*sissent. Transitum quoque sibi per *A*rvacos in Car*pe*taniam in expedito fore, unde velut ex bello consilium se initurum,
p. 4ᵃ. utrum prius hostem, utram provinciam *petat*, ||maritimamne oram, ut Pompeium ab Ilercaonia et Contestania arceat, utraque socia gente, an ad Metellum et *L*usitaniam se convertat.

Haec secum agitans Sertorius praeter Hiberum amnem per pacatos agros quietum exercitum sine ullius noxa duxit. Profectus inde in

Bursaonum et Cascantinorum et Graccuritanorum fines, evastatis omnibus proculcatisque seg*e*tibus, ad Calagurrim Nasicam sociorum urbem venit transgressusque amnem propinquum urbi ponte facto castra posuit. Postero die M. Marium quaestorem in Arvacos et Cerindones misit ad conscribendos ex iis gentibus milites frumentumque inde Contrebiam, *qua*e Leucada appella||tur, conportandum, praeter quam urbem opportunissimus p. 4ᵇ.
ex Beronibus transitus erat, in quamcumque regionem ducere exercitum statuisset; et C. Insteium praefectum equitum Segoviam et in Vacaeiorum gentem ad equitum conquisitionem misit, iussum cum equitibus Contrebiae sese opperiri. Dimissis iis ipse profectus per Vasconum agrum ducto exercitu in confinio Beronum posuit castra. Postero die cum equitibus praegressus ad itinera exploranda, iusso pedite quadrato agmine sequi, ad Vareiam validissimam regionis eius urbem venit. Haud inopinantibus iis hostis advenerat. Undique equitibus et suae gentis et Autri*conum* . . . . . .
. . . . . .

BEROLINI.
FORMIS ACADEMICIS (G. VOGT).

14 JL 32

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 093 218 3